MASTER NEGATIVE

NO. 93-81434-3

MICROFILMED 1993

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States - Title 17, United States Code - concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material.

Under certain conditions specified in the law, libraries and archives are authorized to furnish a photocopy or other reproduction. One of these specified conditions is that the photocopy or other reproduction is not to be "used for any purpose other than private study, scholarship, or research." If a user makes a request for, or later uses, a photocopy or reproduction for purposes in excess of "fair use," that user may be liable for copyright infringement.

This institution reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

ISSEL, EMIL

TITLE:

QUAESTIONES SEXTINAE ET ...

PLACE:

MARPURGI CHATTORUM

DATE:

1917

Master Negative #

93-81434-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

183Se9
DI

Issel, Emil, 1890-
Qvaestiones Sextinae et Galenianae. Dissertatio inavgvralis ... Marpvrgi Chattorvm, Noske, 1917.
55 p.

Thesis, Marburg.

1. Sextus Empiricus. 2. Galenus.

NNC

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 1/X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 5/20/93 INITIALS BAP
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202



MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

183Se9 PT
Columbia University
in the City of New York
LIBRARY

Exchange
DEC 13 1921

QVAESTIONES SEXTINAE ET GALENIANAE

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM MARPVRGENSIVM ORDINE RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

AEMILIVS ISSEL
MVELHEIMENSIS RVHRANVS BORVSSVS

MARPVRGI CHATTORVM MCMXVII
TYPIS ROBERTI NOSKE BORNENSIS

Ab amplissimo philosophorum ordine referente
Carolo Kalbfleisch

probata die XIII mensis Novembris anni MCMXIII

183Se9
DI

EDVARDO KRACK
PRAECEPTORI CARISSIMO

De Sexti Empirici aetate

Rara ex antiquitate de vita Sexti Empirici manat memoria. Ipsius quidem scriptoris testimonia, quod fontium certissimum genus in his rebus esse solet, prorsus fere deficiunt. Et quae ab aliis parce nobis traduntur, satis perplexa sunt atque incerta. Lata igitur coniecturarum via patefacta est. Imprimis de aetate philosophi adhuc sub iudice lis est, quamvis summi momenti nobis sit tandem hanc quaestionem solvi, quia de aetate Aenesidemi et Laertii Diogenis quaestiones artissime cum hac quaestione cohaerent. Vulgo hodie credunt Sextum secundo saeculo exeunte et tertii saeculi initio floruisse. Quae opinio orta est, ut videtur, ab Ioanne Ionsio,[1]) ab Henrico Ritter[2]) et Eduardo Zeller[3]) causis stabilita. Sed postquam Sepp[4]) et Vollgraff[5]) frustra conati sunt eum ineunti saeculo secundo attribuere, denuo Goedeckemeyer[6]) de illa Zelleri sententia dubitavit. Propterea auctore Carolo Kalbfleisch praeceptore meo carissimo sententias et argumenta virorum doctorum

---

[1]) *Ioannis Ionsii de scriptoribus historiae philosophicae libri IV* Ienae 1716 III 12, 7.

[2]) H. Ritter *Geschichte der Philosophie alter Zeit* IV ed. II p. 284.

[3]) Zeller *Philosophie der Griechen* III 2 ed. IV p. 10; cf. L. Haas *De philosophorum Scepticorum successionibus* diss. Wirceb. 1875 cap. III et *Leben des Sextus Empiricus* Progr. Burghausen 1882; Eug. Pappenheim *Lebensverhältnisse des Sextus Empiricus* Progr. Berolin. 1875.

[4]) Sim. Sepp *Pyrrhonëische Studien* diss. Erlang. 1893 p. 121.

[5]) *Revue de philologie* N. S. 26 (1902) p. 195.

[6]) Goedeckemeyer *Geschichte des griechischen Skeptizismus* p. 266 adn. 2.

denuo perstringere suscepi et novis argumentis allatis ita controversiam absolvere studui, ut abesset dubitatio.

Ad statuendum temporis terminum, quem nullo modo possit egressa esse aetas Sexti Empirici, haec argumenta afferuntur: Primum Hippolytus Romanus, cum scriberet librum cui titulus est *Κατὰ πασῶν αἱρέσεων ἔλεγχος*, Sexti opera excerpsit. X 6 et 7 ad verbum descripsit ex Sext. Emp. *Adv. dogm.* IV 310 sqq. Nullius enim momenti est, quod versibus Empedoclis a Sexto (317) citatis *τέσσαρα τῶν πάντων ῥιζώματα κτλ.* verba *οὕτως λέγων* praemittit (7,3). Praeterea e Sexti libro qui inscribitur *Adversus astrologos* multa deprompsit; loci indicantur in *Refutationis* editione quam curavit P. Wendland p. 298.[1]) Itaque cum Hippolyti liber scriptus sit circa a. 230,[2]) ante hunc annum Sextum floruisse manifestum est. Deinde Laertius Diogenes quo loco successionis seriem philosophorum Scepticorum exhibet (IX 116), non solum Sextum sed etiam Saturninum eius discipulum enumerat (*Ἡροδότου δὲ διήκουσε Σέξτος ὁ ἐμπειρικός . . .· Σέξτου δὲ διήκουσε Σατορνῖνος ὁ Κυθηνᾶς, ἐμπειρικὸς καὶ αὐτός*). Inde apparet, si verum est quod vulgo putant[3]) Laertium Diogenem floruisse circiter ab a. 230 usque ad a. 250, Saturninum vix ultra a. 230 fuisse et Sextum floruisse usque ad a. 200 vel 210. Sed primum hoc dicendum est, quod Goedeckemeyer bene monuit, nequaquam ex illo Diogenis loco sequi Saturninum eius aequalem vel paulo tantum maiorem fuisse; immo aliquanto superiorem hunc illo fuisse scriptoris verba indicare videntur. Ergo Sextum quoque prius quam supra dictum est floruisse veri simile est. Deinde monendum est Diogenem ceteroquin nullius philosophi mentionem facere inferioris Favorino, qui ante annum 176 mortuus est.[4]) Sine dubio satis mirum

[1]) cf. *Berl. phil. Wochenschr.* 1909 col. 1453.
[2]) Christ *Gesch. d. griech. Litteratur* II ed. V p. 1110.
[3]) cf. Christ l. l. p. 685.
[4]) Pauly-Wissowa VI 2031.

est solos Sextum et Saturninum hominum fere saeculo ultra Favorini aetatem procedere. Tum de Laertii Diogenis aetate nullum antiquitatis testimonium habemus, sed qui dicunt eum ab a. 230 usque ad a. 250 floruisse, solis coniecturis nituntur. Diogenem, si omittis eum Sexti et Saturnini mentionem facere, floruisse statuendum est post Favorinum et antequam Neoplatonicorum secta, quippe quam nullo loco respiciat, Plotini potissimum tempore (204/5—270) superatis reliquis sectis singularem ut ita dicam potentiam occupavit.[1]) Exeunte igitur secundo vel tertio saeculo ineunte eum fuisse dicas. Ultra hunc temporis terminum propterea tantum progrediuntur, quod Diogenem triginta minimum annis post Sextum floruisse necesse est, Sextum vero non ante secundi saeculi finem fuisse putant causis adducti, de quibus infra videbimus. Certe ubi primum causas illas irritas esse intellexeris, ut priori aetati Diogenem addicas inclinabis. Denique Sextus Stoicos iam acerrimos Scepticorum adversarios esse dicit (Pyrrh. hyp. I 65 *κατὰ τοὺς μάλιστα ἡμῖν ἀντιδοξοῦντας νῦν δογματικοὺς τοὺς ἀπὸ τῆς Στοᾶς*). Inde quoque, quia ineunte tertio saeculo Stoicorum schola fere exstinguitur, Sextum Empiricum certe non multo post secundi saeculi finem floruisse apparet. Sed quamquam ineunte tertio saeculo satis pervulgata erat Stoicorum doctrina, tamen post mortem M. Aureli Antonini insignis atque ingeniosus Stoicae doctrinae philosophus nullus exstitit.[2]) Quod si reputaverimus, Sextum prius quam supra dictum est floruisse ut putemus animus inclinabit.

Ex his quae dixi satis intellegitur Sextum Empiricum nullo pacto post tertii saeculi initium floruisse. Immo nonnulla a nobis exigere videntur, ut priori aetati eum

[1]) cf. Pauly-Wissowa V 761.
[2]) cf. Ueberweg-Heinze *Grundriß der Geschichte der Philosophie* I ed. X p. 299.

addicamus. Cur viri docti his indiciis obsecuti non sunt? Hoc ut intellegamus, videamus nunc, quaenam argumenta proferant ad statuendum temporis terminum, post quem Sextum fuisse putandum sit. Argumenta duo sunt: Primum Sextus *Adv. dogm.* II 258 Basilidem Stoicum commemorat. Eum Marci Aureli Antonini praeceptorem esse conicit Haas.[1]) Sed dubium hoc esse ipse confitetur. Duo enim Stoici sunt nomine Basilidis, quorum alter secundo a. Chr. n. saeculo fuisse videtur, alter Marci imperatoris praeceptor fuit.[2]) Sextum veri similius est illum dicere, quia, quod Zeller optime monuit,[3]) in libris quos scripsit adversus dogmaticos nullius philosophi Aenesidemo aetate minoris mentionem facit. Certe igitur hoc argumentum omittendum est. Deinde simillimae erant philosophorum Scepticorum et Empiricorum medicorum sectae rationes.[4]) Quo modo factum est, ut inter philosophos Scepticos satis magnus numerus medicorum Empiricorum esset; velut a Laert. Diog. IX 116 Menodotus, Sextus, Saturninus Empirici dicuntur. Neque igitur mirum est Scepticae scholae principum, quos enumerat Laertius Diogenes, partem in Galeni scriptis commemorari. Laudantur Zeuxis, Menodotus, Theodas atque etiam, ut viri docti putant, Herodotus Sexti Empirici magister. Neque fieri potuisse dicunt, ut Galenus Sextum, quem constaret medicum fuisse, silentio praeteriret, si vel ante Galenum vel Galeni temporibus floruisset. Sextum ergo necesse esse minorem Galeno fuisse. Hoc si concedimus, sane profitendum est Sextum ante secundi saeculi finem non fuisse. Sed primum opponam huiusmodi argumentis non nimium tribuendum esse. Liceat monere Ciceronem Lucreti carminis, quo Epicuri praecepta optime explicantur, quamquam bene novit (cf. ad Quint. fratr. II 9, 3),

[1]) *Leben d. Sext. Emp.* p. 4.
[2]) cf. Pauly-Wissowa III 46.
[3]) *Phil. d. Gr.* III 2 ed. IV p. 10 adn. 4.
[4]) Zeller *Phil. d. Gr.* III 2 ed. IV p. 19; Goedeckemeyer l. l. p. 29

tamen in eis quae de philosophia scripsit nullo loco mentionem facere. Deinde hoc considerandum est: Galenus adversus Empiricorum sectam hos libros se composuisse ipse testatur *Περὶ τῶν ἰδίων βιβλίων* IX (Galeni scripta min. rec. Marquardt Mueller Helmreich II p. 115):

Τῆς Θεοδᾶ εἰσαγωγῆς ὑπομνήματα πέντε	5
Περὶ τῶν Μηνοδότου Σεβήρῳ ἕνδεκα	11
Τῶν Σεραπίωνος πρὸς τὰς αἱρέσεις δύο[1])	2
Ὑποτυπώσεις ἐμπειρικαί	1
Περὶ τῆς ἰατρικῆς ἐμπειρίας	1
Περὶ τῆς τῶν ἐμπειρικῶν διαφωνίας τρία	3
Πρὸς τὰ ἀντειρημένα τοῖς περὶ τῆς διαφωνίας τῶν ἐμπειρικῶν τοῦ τε Θεοδᾶ κεφάλαια[2]) *ὑπομνήματα τρία*	3
Προτρεπτικὸς ἐπ' ἰατρικήν	1
Σύνοψις τῶν Ἡρακλείδου περὶ τῆς ἐμπειρικῆς αἱρέσεως ἑπτά	7

Novem igitur opera sunt et libri triginta quattuor vel etiam plures. Quorum ex numero nobis adservantur *Ὑποτυπώσεις ἐμπειρικαί*,[3]) *Προτρεπτικὸς ἐπ' ἰατρικήν* — sed finem deesse ultima libelli verba indicant (*τοῦτο δ' αὐτὸ δεικτέον ἐφεξῆς*) —, fragmentum libelli *Περὶ τῆς ἰατρικῆς ἐμπειρίας*.[4]) Ergo duo fere e triginta quattuor vel etiam pluribus libris exstant. Reputantibus nobis tam exiguam partem scriptorum, quibus Galenus de Empiricorum secta disseruit, adservatam esse certe haud ita mirum videbitur in eis quae supersunt Sexti mentionem non fieri.

Offendat vero aliquis in eo, quod ei Scepticae scholae principes, qui proximi Sexto antecesserunt, non solum Menodotus et Theodas,[5]) sed etiam Herodotus ipse Sexti

[1]) Male hoc loco Muellerum Galeni verba distinxisse equidem credo.
[2]) Haec verba corrupta esse intellexit Ilberg Mus. Rhen. LII p. 614 adn. 6; quem si sequeris, numerus librorum tribus augetur; proponit enim ut scribatur *Πρὸς τὰ ἀντ. τοῖς π. τ. διαφ. τ. ἐμ. τρία· Τῶν Θεοδᾶ κεφαλαίων ὑπομνήματα τρία.*
[3]) M. Bonnet *De Galeni subfiguratione empirica* diss. Bonn. 1872.
[4]) *Sitz.-Ber. d. Berl. Akad.* 1901 p. 1255 sqq.
[5]) cf. Haas *De phil. Scept. succ.* p. 8 adn. 2 et Bonnet l. l. (index p. 77 sqq.).

magister saepius in Galeni scriptis commemorantur, primus Sextus silentio praeteritur. Certe hoc aliquam admirationem haberet, si esset verum. Sed erravisse demonstraturus sum viros doctos, qui Herodoti Sexti praeceptoris Galenum mentionem facere dixerunt.[1]) Haas *De philos. Scept. successionibus* p. 8 adn. 2 novem affert locos, quibus Herodotum illum commemorari putat. Quos priusquam excutiam, hoc unum praemittam: Menodotus et Theodas, qui Herodoto antecesserunt, et Sextus, qui ei successit, Empiricae sectae medici fuerunt. Ergo Herodotum quoque, si quidem medicus erat, hanc sectam secutum esse opinabimur. Certe in medicina a dogmaticorum disciplina fuisse philosophum Scepticum non credemus. Quibus expositis excutiendi nobis sunt loci, quibus Herodotum a Galeno laudari Haas putat: Gal. VI 516 K. Halicarnassensis Herodoti verba quaedam (II 36) laudantur! — Gal. VI 775, 10 haec leguntur: *Εὐρυφῶν τε καὶ Ἡρόδοτος ἀξιοῦσί γε θηλάζειν ὥσπερ τὰ παιδία τὴν γυναῖκα τοὺς οὕτως ἔχοντας* (i. e. pthisicos) et X 474, 4: *καὶ δὴ καὶ τὸ γάλα κάλλιστον μὲν εἰ ἐξ αὐτῶν τῶν θηλῶν ἐπισπῷτό τις, ὥσπερ Εὐρυφῶν καὶ Ἡρόδοτος καὶ Πρόδικος ἀξιοῦσιν.* Quibus locis hunc addam (VII 701, 10): *... εἴ τις αὐτὸ ὑπομένει βδάλλειν ἐντιθέμενος τῷ στόματι γυναικεῖον τιθόν, ὥσπερ Εὐρυφῶν τε καὶ Ἡρόδικος ἐπὶ τῶν φθινόντων ἀξιοῦσιν.* Nemo negabit memoriam nominum, quia hi loci sententiis plane congrui sunt, alicubi corruptam esse. Atque Herodoti nomen, quamvis duobus locis inveniatur, falsum esse equidem censeo et verum esse, quod VII 701, 10 legitur: *Εὐρυφῶν τε καὶ Ἡρόδικος.* Primum enim, si Herodici nomen legendum esse dicimus, facillime possumus explicare, qua ratione memoria nominum X 474 corrupta sit: in codice quodam initio scriptum erat *Εὐρυφῶν καὶ Ἡρόδοτος*; deinde correctum est *Εὐρυφῶν καὶ Ἡρόδοτος, Ἡρόδικος*

[1]) cf. Wellmann *Die pneumatische Schule bis auf Archigenes* (*Philol. Untersuchungen* XIV) p. 14; Goedeckemeyer l. l. p. 265 adn. 5.

tum alius librarius male descripsit *Εὐρυφῶν καὶ Ἡρόδοτος καὶ Πρόδικος.* Alterum argumentum hoc est: Euryphontem scimus Cnidium fuisse.[1]) Item de Herodico quodam Cnidio, qui discipulus Euryphontis fuisse videtur, nobis traditur.[2]) Veri simillimum ergo est Galenum hos duos dicere. — XIII 789 et 801 Galenus duo Critonis medici medicamina affert, quae Criton Herodoto se debere ipse testatur. Criton archiatrus fuit imperatoris Traiani;[3]) ergo ne Herodotus quidem, cui medicamina illa debuit, ultra Traiani tempora floruit. Magister igitur Sexti Empirici, quem exeunte secundo saeculo viguisse dicunt, fuisse non potest. — Gal. XI 432, 4: *ἐγὼ δὲ πρὸς τούτοις ἔτι κἀκεῖνο εἴποιμ' ἄν, ὡς Ἡρόδοτος μὲν ἁπάσας τὰς ἄλλας αἱρέσεις μοχθηρὰς ὑπολαμβάνων πλὴν τῆς πνευματικῆς ... καὶ ἄλλος τις ἄλλος* (l. *τὰς ἄλλας*) *ἁπάσας πλὴν τῆς ἑαυτοῦ περὶ τῶν συνθέτων φαρμάκων μόνων ἀβασανίστως πιστεύουσιν ἅπασι τοῖς συγγράμμασιν, εἴθ' ὁμοδόξων εἴτε καὶ τῶν ἐπιτυχόντων εἴη.* Ex hoc loco dilucide apparet Herodotum illum, quem Galenus dicit, Pneumaticae sectae medicum fuisse, et verborum vim conturbavit Zeller, qui, ut Galenum de Herodoto philosopho Sceptico et Empirico medico cogitare probaret, haec dixit[4]): *Daß er demselben vorrückt, er verwerfe alle Sekten außer der pneumatischen, kann bei der Prinziplosigkeit dieser Empiriker nichts dagegen beweisen.* In eodem libro tribus aliis locis (XI 430, 4; 442, 6; 443, 4) Herodoti mentio fit. His locis Galenum eundem medicum Pneumaticum dicere nemo negabit. Quibus ex locis uno, quo Galenus dicit Herodotum neglegere atque aspernari ea quae sensibus percipiuntur (p. 442, 6 *ὡς ἐν τῷ καταψεύσασθαι [τισι] τῆς αἰσθήσεως [τὸ] τοῦ νικᾶν ὑπάρχοντος*), optime confirmatur pertinacem Dogmaticae disciplinae medicum eum fuisse. — E novem igitur locis,

[1]) Pauly-Wiss. VI 1342.
[2]) Pauly-Wiss. VIII 979.
[3]) cf. Wellmann *Die pneum. Schule* p. 14 adn. 7.
[4]) *Phil. d. Griech.* III 2 ed. IV p. 7 adn. 2; cf. p. 50 adn.

quibus Haas Herodotum Sexti magistrum laudari dicit, tres prorsus removendi sunt, duo pertinent ad medicum quendam, qui ante Traianum vel Traiani temporibus floruit, quattuor ad Pneumaticae sectae medicum. Quibus locis duos addam, quos Haas neglexit. Apud Gal. VIII 751,2 Herodoti cuiusdam mentio fit, qui Agathini discipulus erat. Inde apparet eum Pneumaticae sectae addictum fuisse et temporibus Archigenis, qui eundem Agathinum magistrum habebat, i. e. exeunte primo post Chr. n. saeculo floruisse.[1]) Hoc loco probari equidem censeo omnes locos, quibus Galenum Herodoti medici mentionem facere supra vidimus, pertinere ad eundem medicum Pneumaticae sectae addictum, qui floruit exeunte primo p. Chr. n. saeculo. Neque dubitabis, quin ad eundem is quoque locus pertineat, qui reliquus est (XVII A 999,12), quamvis ex eo nihil accuratius concludere possimus. Hic Herodotus Sexti magister nullo pacto fuisse potest. Nam Herodotum Scepticae scholae principem — ut omittam Sextum, si Pneumatici illius discipulus esset, iam ineunte secundo saeculo necesse esse fuisse — Empiricorum medicorum sectae, ut supra exposui, addictum fuisse opinabimur; certe Pneumaticos, quorum praecepta, quippe quae e Stoicorum philosophia derivata sint, a Scepticorum doctrina plane abhorrent, secutus non est. Ergo Herodotus Sexti magister a Galeno non laudatur neque verum est quod viri docti opinantur Sextum primum a Galeno silentio praeteriri.

Denique aliud, quod summi momenti est, accedit. In genuinis quidem Galeni libris Sextum non laudari bene viri docti dicunt. Sed laudatur in libro, qui inscribitur *Εἰσαγωγὴ ἢ ἰατρός* (Gal. XIV 683,18), quem iniuria Galeno adscriptum esse hodie omnes consentiunt. In altera huius dissertationis parte equidem probaturus sum hunc libellum, quamquam genuinus Galeni non est, tamen Galeno vivo

[1]) cf. Wellmann *Die pneum. Schule* p. 8 et p. 14.

conscriptum esse. Inde apparebit Sextum Empiricum post Galenum certe non fuisse. Galeni aequalis fuisse potest, quia alii quoque Galeni aequales in libro illo laudantur.

Ex his quae exposui satis, ut puto, intellegitur omnia argumenta, quibus viri docti Sextum ante secundi saeculi exitum non floruisse probare conantur, irrita esse, immo multa indicia a nobis exigere, ut priori aetati eum attribuamus. Quibus indiciis aliud accedit, quod sumitur e controversia quae est de aetate Aenesidemi. De huius quoque aetate certum testimonium nobis deest. Itaque Zeller coniecturis eam in hunc modum reperire conatus est (*Phil. d. Gr.* III 2 ed. IV. p. 10 sqq.): Certe suo iure ponit Diogenem Laertium IX 116 philosophorum Scepticorum seriem integram atque continuam nobis tradere: *Ἡρακλείδου δὲ* (sc. *διήκουσεν*) *Αἰνησίδημος Κνώσσιος . . .· οὗ Ζεύξιππος ὁ Πολίτης, οὗ Ζεῦξις ὁ γωνιόπους, οὗ Ἀντίοχος Λαοδικεὺς ἀπὸ Λύκου· τούτου δὲ Μηνόδοτος ὁ Νικομηδεύς, ἰατρὸς ἐμπειρικός, καὶ Θειωδᾶς Λαοδικεύς· Μηνοδότου δὲ Ἡρόδοτος Ἀριέως Ταρσεύς· Ἡροδότου δὲ διήκουσε Σέξτος ὁ ἐμπειρικός.* Concludit ergo ex hoc loco Zeller, qui principes tantum Scepticae scholae a Laertio Diogene enumerari putat, Sextum septimum Aenesidemi successorem fuisse. Atqui exploravit (l. l. p. 11 adn. 3) Platonis successores usque ad Antiochum plus minusve vicenos annos, Zenonis successores usque ad Panaetium vicenos senos annos, Aristotelis successores usque ad Andronicum plus minus vicenos septenos annos principatum scholae tenuisse. Itaque cum ne Scepticae quidem scholae principes amplius vicenos septenos annos scholae principatum tenuisse et Sextum anno fere 210 p. Chr. n. mortuum esse sumat, Aenesidemum non ante sextum a. Chr. n. annum floruisse efficit. Alii viri docti[1]) negaverunt Laertium Diogenem principes tantum Scepticae scholae laudare. Sed

[1]) Haas *De philos. Scept. succ.* p. 3; Hirzel *Untersuchungen zu Ciceros philos. Schriften* III p. 133.

hoc omittere possumus. Certe inter Sextum et Aenesidemum, quia vix dubium est quin Diogenes continuam magistrorum et discipulorum seriem enumeret, quinque hominum saecula fuerunt. Aequantibus nobis singula saecula tricenis annis Aenesidemum eodem fere tempore quo Zeller dicit floruisse hac quoque computatione efficitur. Contra adduci vix possumus ut credamus eum ante ultimum primi a. Chr. n. saeculi decennium non floruisse hac de causa: Photius Biblioth. cod. 212 nobis tradit Aenesidemi librum, qui inscriptus erat *Πυρρώνειοι λόγοι*, dedicatum fuisse *τῶν ἐξ Ἀκαδημίας τινὶ συναιρεσιώτῃ Λευκίῳ Τοβέρωνι γένος μὲν Ῥωμαίῳ, δόξῃ δὲ λαμπρῷ ἐκ προγόνων καὶ πολιτικὰς ἀρχὰς οὐ τὰς τυχούσας μετιόντι*. Vix dubium esse potest, quin Photius L. Aelium Tuberonem Ciceronis amicum dicat. Inde apparet Aenesidemum quoque vel Ciceronis aequalem vel paulo tantum minorem fuisse. Bene igitur, ut puto, Goedeckemeyer l. l. p. 211 circa tricesimum a. Chr. n. annum eum floruisse dicit. Inde quoque sequitur Sextum, si quidem continuam seriem Scepticae scholae principum Diogenes nobis tradit, cum tardissime circa annum p. Chr. n. 150 floruisse, praesertim cum dubium sit, num reapse unusquisque Scepticorum principum tam diu quam sumit Zeller principatum tenuerit, quia ut idem monet non semper discipulus magistrum secutus est, velut inter Menodotum et Herodotum Theodas Menodoti condiscipulus principatum tenuit.

Quibus expositis restat, ut pauca dicam de eis quae apud Suidam s. v. *Σέξτος* scripta legimus: *Σέξτος Χαιρωνεύς, ἀδελφιδοῦς Πλουτάρχου, γεγονὼς κατὰ Μάρκον Ἀντωνῖνον τὸν Καίσαρα, φιλόσοφος, μαθητὴς Ἡροδότου τοῦ Φιλαδελφαίου. Ἦν δὲ τῆς Πυρρωνείου ἀγωγῆς καὶ τοσοῦτον πρὸς τιμῆς τῷ βασιλεῖ ἦν, ὥστε καὶ συνδικάζειν αὐτῷ. Ἔγραψεν Ἠθικά, Ἐπισκεπτικὰ βιβλία δέκα. Σέξτος Λίβυς, φιλόσοφος. Σκεπτικὰ ἐν βιβλίοις ί, Πυρρώνεια.* Plerisque viris doctis persuasum est Sextum Empiricum a Suida cum Sexto

Chaeronensi Plutarchi nepote et Sexto Africano confundi.[1]) Contra alii viri docti re vera Sextum Chaeronensem M. Aureli magistrum eundem esse ac Sextum Empiricum medicum et philosophum Scepticum existimant.[2]) Sed quamquam ex eis quae supra exposui apparet temporis angustiis nos non impediri, quominus hoc credamus, et quamquam Vollgraff[3]) reliqua quoque quae obstant refutare conatus est, tamen adduci non possum, ut his viris doctis assentiar. Quis enim credat Scepticae scholae philosophum magistrum fuisse M. Aureli, qui per totam vitam Stoicae disciplinae studiosus erat? Vollgraff quidem credit et testimonium affert Eutropii (VIII 12), qui litterarum tantum Graecarum scientiam M. Aurelium a Sexto didicisse narrat. At et imperator ipse (*Εἰς ἑαυτόν* I 9) et alii (Suidas l. l.; Cass. Dio LXXI 1, 2) testantur tantam inter M. Aurelium et eius praeceptorem fuisse amicitiam, quanta nunquam esse potuit inter Scepticum et Stoicum philosophum. Quae cum ita sint, nos quoque credemus vel a Suida Sextum Chaeronensem et Sextum Empiricum confusos vel memoriam illius loci corruptam esse, praesertim cum ea, quae de Sexto Chaeronensi ab aliis nobis traduntur, prorsus non congruant cum eis, quae de vita Sexti Empirici comperta habemus, velut nusquam traditur Sextum Chaeronensem medicum fuisse.

---

[1]) cf. Zeller *Phil. d. Gr.* III 2 ed. IV p. 50 adn.; Christ *Gesch. d. griech. Literatur* II ed. V p. 664 adn. 1.

[2]) cf. Sepp *Pyrrhon. Stud.* p. 85 et 121; Vollgraff in *Revue de philologie* N.S. 26 (1902) p. 195 sqq.

[3]) l. l. p. 202 sqq.

De libello qui inscribitur *Εἰσαγωγὴ ἢ ἰατρός* Galeno addicto

Εἰσαγωγὴ ἢ ἰατρός qui inscribitur libellus in Galeni operum editiones receptus (XIV 674—797 Kuehn) ab omnibus fere recentiorum temporum viris doctis ponitur in numero eorum, qui iniuria magno illi medico Pergameno attribuuntur. Neque vero quisquam adhuc hanc opinionem argumentis firmare studuit neque de vera libelli origine sententiam omnibus probatam aperuit.[1]) Itaque hanc quaestionem, praesertim cum ad Sexti Empirici aetatem certius definiendam multum valere videretur, accuratius pertractare animum induxi.

Primus Aldinae editor libellum Galeno abrogasse videtur; neque enim testimonia antiquitatis, quantum equidem scio, neque codices eum in suspicionem vocaverunt neque interpretationes latinae, quae Aldinae graecae a. 1525 editae antecedunt. Insunt enim huius libelli capita *α′*—*ι′* in duabus omnium Galeni operum interpretationibus, quae editae sunt Venetiis a. 1490 et a. 1502. Aliam libelli interpretationem editioni Aldinae antecedentem investigare non potui. Ii enim libri, in quibus inesse interpretationem Ackermann in *Historia literaria Claudii Galeni* dicit,[2]) omnes falso laudantur. Neque enim inest in Georgii Vallae Placentini volumine, quod et hunc libellum et alia Galeni aliorumque Graecorum opera continere Ackermann dicit

[1]) cf. Pauly-Wiss. VII 590. De Helmreichii libello cf. p. 21 [1]).

[2]) I. A. Fabricii *Bibliotheca graeca* V ed. III p. 442; cf. Galeni opera ed. Kuehn vol. I p. CXLIX.

— in indice quidem huius voluminis, quod sic inscriptum est: *Georgio Valla Placentino Interprete. Hoc in volumine hec continentur Nicephori logica Georgii valle libellus de argumentis...*[1]) legitur *Galeni* quoque *introductorium*; neque tamen in ipso volumine interpretationem in hunc modum inscriptam invenies — et Francisci Philelphi operum editiones, quas Ackermann laudat,[2]) sane praebent *Galieni medici ad medicinam introductorium* antecedente epistula Georgii Vallae, qui libellum illum Iacobo Antiquario ducis Mediolanensium secretario misit, sed interpretatio est libelli *Περὶ αἱρέσεων τοῖς εἰσαγομένοις*.

Primi igitur Aldinae editor et Basileensem qui curavit editionem libellum in *νόθοις* posuerunt propterea scilicet, quia Galenus eum inter suos non commemorat.[3]) Eorum opinionem secutus Iacobus Sylvius[4]) Galeni quadam adnotatione nisus Herodoto medico libellum addixit. Contra Charterius in edit. oper. Gal. vol. II p. 405 hac sententia improbata Galeno adscribit libellum, quem concisa oratione universa medicinae praecepta complecti dicit. Ackermann[5]) controversiam diiudicare non audet, sed addit haec: *Si a Galeno scriptus est, ad eos saltim non pertinet, quos Galenus πρὸς ἔκδοσιν scripsit; sed ad eos, quos ad tironum usum conscripsit, postea ab iis evulgatos.* Undevicesimi quoque saeculi quidam

[1]) Fabricius l. l. p. 483; Kuehn l. l. p. CCXXXVI.

[2]) *Orationes Philelphi cum aliis opusculis* Venet. p. Phil. de Pinzis 1492; ed. sine not. typograph.; *orationes Philelphi* Venet. p. Barth. de Zanis de Portesio 1491.

[3]) cf. Fabricius l. l. p. 441; Kuehn I p. CXLVIII.

[4]) *Ordo et ordinis ratio in legendis Hippocratis et Galeni libris per Iacobum Sylvium* Paris. 1539 p. 11: *Introductio seu medicus Herodoti liber, non Galeni, ut ex commentario Galeni 31. particulae secundae lib. sexti Epidemion liquido apparet.* Dicit hunc locum: ... *τῶν ὑφ' Ἡροδότου γραφέντων ἕνια κατὰ τὸ βιβλίον δ ἐπέγραψεν αὐτὸς Ἰατρόν* (XVII A 999, 12).

[5]) Fabr. l. l. p. 441; Kuehn l. l. p. CXLVIII.

viri docti, velut Zarncke,[1]) Gurlt,[2]) Goedeckemeyer[3]) libellum certe Galeni esse posse praedicaverunt; sed plerique et qui praecipue in his rebus versati sint velut Sprengel,[4]) Fuchs,[5]) Mewaldt[6]) eum genuinum non esse consentiunt. Sed accuratius, quid de vera eius origine censeat, solus M. Wellmann docuit. Is enim Pneumaticae sectae medicum medio secundo p. Chr. n. saeculo libellum composuisse putat, sed Herodoto medico Pneumatico propter temporis difficultates adscribi eum non posse.[7])

Libellum spurium esse probatur

Spurium libellum esse et iniuria Galeno adscribi non inde concludi posse perspicuum est, quod neque alibi neque in eis quae Galenus conscripsit *Περὶ τῆς τάξεως τῶν ἰδίων βιβλίων* et *Περὶ τῶν ἰδίων βιβλίων* commemoratur, praesertim cum alii quoque libri, quos genuinos Galeni esse nemo negat, in commentariis illis non laudentur.[8]) Immo spurium eum esse nisi ex libello ipso, quia testimonia veterum scriptorum desiderantur, probari non potest. Itaque ut hanc quaestionem diiudicemus, primum quaeramus, quibus in sententiis placitisve scriptor libelli a Galeno differat, deinde in eiusdem sermonis consuetudinem inquiramus.

Quod ad sententias attinet, de medicinae doctrina in universum scriptorem non nimium a Galeno dissentire infra

[1]) E. Zarncke *Symbolae ad Iulii Pollucis tractatum de partibus corporis humani* p. 11 adn. 19.

[2]) E. Gurlt *Geschichte der Chirurgie* I p. 459.

[3]) Goedeckemeyer *Geschichte des griech. Skeptizismus* p. 267.

[4]) Sprengel *Geschichte der Arzneykunde* II ed. III p. 152.

[5]) Puschmann *Handbuch der Geschichte der Medizin* I p. 391.

[6]) Pauly-Wiss. III 590.

[7]) M. Wellmann *Die pneumatische Schule bis auf Archigenes* p. 15 adn. 6; *Hermes* 33 p. 546 et p. 547 adn. 1.

[8]) confer, quae de his rebus disseruerunt Kalbfleisch (*Jahrb. f. klass. Philol.* suppl. XXIII p. 693) et H. Schoene (*Galenus de partibus artis medicativae* p. 16).

videbimus. Attamen in artis vocabulis quibusdam aliisque singulis rebus adeo a Galeni ratione differt, ut iniuria huic libellum addici appareat. Comparemus haec:

Gal. III 795,5 *καθ' ὃ δὲ παλινδρομεῖν ὁ περιόστιος ὑπήρξατο, σκληροτέρα τις ἢ καθ' ὑμένα φύσις ἐπιτέταται ταρσὸς ὀνομαζομένη, κατακλείουσά τε καὶ περιλαμβάνουσα καὶ σφίγγουσα τὸ κυρτούμενον ἐκ τῆς διπλώσεως αὐτοῦ.*

Ps.-Gal. XIV 701,18 *βλεφάρων δὲ τὰ μὲν πρὸς τοῖς ὀφθαλμοῖς ὅλοις, καθ' ἃ ἡ συμβολὴ αὐτῶν πρὸς ἄλληλα γίνεται, ταρσοὶ ὀνομάζονται, ἐξ ὧν ἐκπεφύκασι τρίχες, αἳ βλεφαρίδες λέγονται.* 712,12 *βλεφάρων δὲ τὰ μὲν ἔσωθεν σαρκώδη, τὰ δὲ μεταξὺ χονδρώδη, ἔξωθεν δὲ δέρματι σκέπεται. διὰ δὲ τὸ σκληρὸν τοῦ μεταξὺ χόνδρου . . .*

Ex his locis apparere puto Galenum *ταρσὸν* cartilaginem palpebrarum (*τὸν μεταξὺ χόνδρον, Knorpelplatte*) nominare, scriptorem libelli oras tantum palpebrarum (*Lidränder*) *ταρσοὺς* dicere. Eandem sententiam profert H. Magnus *Die Augenheilkunde der Alten* p. 435.

Gal. III 768,14 . . . *ἵνα συνάπτει τὸ λευκὸν τῷ μέλανι. καλεῖται δ' ἶρις ὁ τόπος οὗτος.* X 1020,13 . . . *τοῦ χωρίου, καθ' ὃ συμφύονται πρὸς ἀλλήλους ἅπαντες οἱ χιτῶνες. ὀνομάζουσι δὲ ἔνιοι μὲν ἶριν, ἔνιοι δὲ στεφάνην τὸ χωρίον.*

Ps.-Gal. XIV 702,12 . . . *τὸ λευκὸν τοῦ ὀφθαλμοῦ, οὗ ἐν μέσῳ ἡ ἶρις κύκλος ποικίλος τοῖς χρώμασι, δι' ὃ καὶ ἶρις ἐκλήθη ἀπὸ τῆς πρὸς τὴν ὑπαίθριον ἶριν ἐμφερείας.* 711,16 *πρῶτος μὲν οὖν* (sc. *τῶν τοῦ ὀφθαλμοῦ χιτώνων*) *ἔξωθέν ἐστιν ὁ κερατοειδής, λευκὸς μὲν κατὰ τὰ ἄλλα, κατὰ δὲ τὴν ἶριν λεπτυνόμενος διαφαίνει τὸ ὑποκείμενον χρῶμα, καθ' ὃ μέλας ἢ γλαυκότερος ἢ χαροπὸς φαίνεται.*

Galenus igitur *ἶριν* eum solum locum nominat, quo committuntur inter se oculi tunicae (*Ciliarkörpergegend*), apud scriptorem libelli vocabulum eandem significationem habet ac nostra aetate (*Regenbogenhaut*).[1])

[1]) cf. Hirschberg *Geschichte der Augenheilkunde* p. 195 adn. 2; Magnus l. l. p. 441.

Gal. II 734, 13 *τὸ μὲν οὖν ἄρθρον ἐστὶ σύνταξις ὀστῶν φυσική· ἡ δὲ σύμφυσις ἕνωσις ὀστῶν φυσική.* 735,4 *διαφοραὶ δὲ τοῦ μὲν ἄρθρου δύο εἰσί, διάρθρωσίς τε καὶ συνάρθρωσις.* 735,7 *ἡ δὲ συνάρθρωσις ὀστῶν μὲν καὶ αὐτὴ σύνθεσίς ἐστιν, οὐ μὴν ἐναργῆ γε τὴν κίνησιν οὐδὲ μεγάλην ἀλλ' ἀμυδράν τε καὶ δυσφώρατον ἐχόντων.*

Ps.-Gal. XIV 720,4 *τῶν δὲ ὀστῶν διττὴ ἡ σύνθεσις, ἡ μὲν πρὸς τὸ κινεῖσθαι καὶ καλεῖται ἄρθρον, ἡ δὲ πρὸς τὸ ἀκίνητον καὶ καλεῖται συνάρθρωσις.*

Scriptor libelli eam ossium coniunctionem, qua ossa moveri possunt, *ἄρθρον* appellat, *συνάρθρωσιν* eam, qua nequeunt moveri. Contra Galenus hoc coniunctionis genus *σύμφυσιν* nominat, *συνάρθρωσιν* eam *ἄρθρου* speciem, qua ossa motus facultate parva et modica praedita sunt.

Gal. II 742,2 *... αἱ κατὰ τὰ ὦτα λεπιδοειδεῖς καλείσθωσαν ῥαφαί· ὡς εἶναι πέντε μὲν ἰδίας ῥαφὰς τῆς κεφαλῆς, τὴν λαμβδοειδῆ, τὴν στεφανιαίαν, τὴν κατὰ τὸ μῆκος εὐθεῖαν, τὰς παραλλήλους αὐτῇ δύο τὰς ἐν τοῖς λεπιδοειδέσιν.*

Ps.-Gal. XIV 720,9 *ῥαφαὶ δὲ* (sc. *τῆς κεφαλῆς*) *εὑρίσκονται ἐπὶ τῶν πλείστων πέντε, στεφανιαία ἡ διὰ τοῦ βρέγματος, ὀβολιαία* (*ὀβελιαία* Kalbfleisch coll. *sagittalis*) *ἡ διὰ τῆς κορυφῆς, λαμβδοειδὴς ἡ διὰ ἰνίου, κροτάφιαι δύο, καθ' ἑκάτερον κρόταφον μία.*

Ergo quam capitis suturam scriptor libelli *ὀβελιαίαν* nominat, eam Galenus *εὐθεῖαν* dicit (cf. III 753,10), quas ille *κροταφίας*, eas hic *λεπιδοειδεῖς* (cf. II 744,9).

Gal. II 744,2 *ἓξ ὀστᾶ γίγνεται τῆς ὅλης κεφαλῆς τὰ πάντα χωρὶς τοῦ σφηνοειδοῦς· δύο μὲν κατὰ τὸ βρέγμα ...*, *ἄλλα δὲ δύο τούτων κάτωθεν, ἓν καθ' ἑκάτερον οὖς· καὶ πέμπτον ἐπὶ τούτοις τὸ κατ' ἰνίον καὶ ἕκτον τὸ κατὰ μέτωπον.* 744,10 *τὰ δὲ ... καθ' ἑκάτερον οὖς* (sc. *ὀστᾶ ἀφορίζουσιν*) *... ἔμπροσθεν ἡ κοινὴ* (sc. *ῥαφὴ*) *τῆς τε κεφαλῆς καὶ τοῦ σφηνοειδοῦς.*

Ps.-Gal. XIV 720,12 *ὀστᾶ δὲ κρανίου ἑπτά· ἰνίου ἕν, κορυφῆς δύο, κροτάφων δύο, μετώπου ἕν, πολυμόρφου ἕν.* 721,6 *καὶ λέγεται ὑοειδὲς ὀστοῦν, καθ' ὃ χόνδρῳ συνδεῖται αὐτῶν* (i. e. *τῶν βελονοειδῶν ἐκφύσεων*) *τὰ ἄκρα· ἐπάνω δὲ τούτων τὰ ἀνώνυμα, ὧν κατὰ τὸ ἔμπροσθεν μέρος κεῖται τὸ πολύμορφον.*

Ex his locis apparet scriptorem libelli illud os, quod Galenus *σφηνοειδὲς* (*Keilbein*) appellat, *πολύμορφον* nominare.

Gal. X 839,10 *τοῦ μὲν δὴ ψυχικοῦ πνεύματος ἐναργῶς ἐδείξαμεν οἷον πηγήν τινα οὖσαν τὸν ἐγκέφαλον. ... τοῦ δὲ ζωτικοῦ πνεύματος οὐχ ὁμοίως μὲν ἐναργὼς ἡ ἀπόδειξις ἦν, οὐ μὴν ἀπίθανόν γε κατά τε τὴν καρδίαν αὐτὸ καὶ κατὰ τὰς ἀρτηρίας δοκεῖν περιέχεσθαι ... εἰ δὲ ἔστι τι καὶ φυσικὸν πνεῦμα, περιέχοιτ' ἂν καὶ τοῦτο κατά τε τὸ ἦπαρ καὶ τὰς φλέβας.*

Ps.-Gal. XIV 726,7 *τοῦ δὲ ἐμφύτου πνεύματος διττὸν εἶδος, τὸ μὲν φυσικόν, τὸ δὲ ψυχικόν. εἰσὶ δὲ οἳ καὶ τρίτον εἰσάγουσι τὸ ἕκτικόν ... τὸ μὲν οὖν ψυχικὸν ἐν τῇ κεφαλῇ κατῴκισται, τὸ δὲ φυσικὸν ἐν καρδίᾳ, τὸ δὲ ἕκτικὸν ἐν παντὶ τῷ σώματι.*

Ergo *τοῦ ψυχικοῦ* tantum *πνεύματος* idem nomen et eandem sedem profert uterque.

Praeterea ea, quae scriptor libelli p. 712,3 sqq. dicit de oculi tunica retiformi et de tunica, quam *ἄδηλον* appellat, non congruunt cum eis, quae Galenus de oculi structura docet. Sed de hac re infra accuratius agam p. 35 sq. Deinde vocabulum *φαρύγετρον* (721,5; 743,9) Galenus nunquam usurpavit pro *φάρυγξ*, quod legimus e. g. II 867,4; IV 647,16; VIII 249,4 al. Tum molares dentes scriptor libelli p. 722,4 *μυλίτας* dicit, Galenus *γομφίους* sive *μύλας* appellare consuevit; cf. II 753,12,18; III 866,1; 869,7; 870,15; 871,17; 877,12; 878,14; 879,12.[1])

Atque haec quidem de artis vocabulis; omitto enim quandam differentiam esse inter definitiones *τοῦ συναιτίου* et *τοῦ συνεργοῦ αἰτίου*, quas in libello p. 692,1 et 4 et quas in commentario ad Hippocratis librum *Περὶ τροφῆς* XV 302, 17 et 303,3 legimus, quia spurium hunc commentarium esse A. Nelson praedicavit argumentis sane nondum editis (cf. *Sitz.-Ber. der Berl. Akad.* 1914 p. 128). Videamus nunc de genere dicendi. Qua in re libellum genuinum Galeni non esse imprimis eo probatur, quod in hiatu ad-

[1]) Opusculo hoc finito inveni Georgium Helmreich (***Handschriftliche Studien zu Galen*** III Progr. Ansbach. 1914 p. 5) haec artis vocabula quae in libello leguntur Galeno inusitata addidisse: 710,9 *ληχηνεῖον* (*ληνός* Gal. II 712,11; III 708,15); 760,10 *ἀλυπαία*; 781,5 *ἀρθρέμβολον*; 783,11 *κεφαλοτρύπανον* (*τρύπανον* Gal. X 446,15).

mittendo et evitando aliam rationem ac normam sequitur Galenus, aliam huius libelli scriptor. Galenum constat verba ita colligere atque collocare, ut quatenus fieri potest effugiat concursionem vocalium; paucis tantum atque certis condicionibus eum hiatum admittere viri docti demonstraverunt.[1]) Comparantibus nobis cum hac Galeni norma consuetudinem scriptoris neglegendos esse manifestum est eos hiatus, qui vel aphaeresi vel elisione tolluntur, velut 675, 12 *ὀξυσχοίνου ἐμπαγείσης*; 678, 10 *τέσσαρα οὖν*; 681, 17 *ὅσα ὑπόφορα*; 687, 3 *ἐπὶ ἀνθρωπίνων*. Neque enim inde quod codices[2]) saepissime elisionem vel non exhibent vel in hac re discrepant, quicquam potest concludi. Praeterea non alienum est a Galeni consuetudine, quod scriptor admittit hiatum

1. post articulum, veluti 675, 2 *οἱ ὑπό*; 677, 15 *τοῦ ἐν*; 679, 16 *τὸ εἰς*.

2. post pronomen, velut 682, 2 *αὐτὸ εἰς*; 684, 13 *μέν τι ἐπιστημονικόν*.

3. post particulas quasdam: *καί* (675, 2. 4) *ἤ* (681, 9) *μή* (687, 8) *ὅτι* (682, 13) *πώ* (679, 11; cf. Galeni scripta min. rec. Marquardt Mueller Helmreich I p. LII).

4. post praepositionem *περί*: 681, 10 *περὶ ὄσχεον*.

5. ante *οὐ*, velut 680, 7 *διὸ οὐ*.

6. ante verba *εἶναι, ἔχειν*, velut 683, 15 *ἵνα ᾖ*; 688, 5 *αὐτῇ ἔχει*.

7. post nominum formas exeuntes in

α) *οι*, velut 689, 14 *ἐπιβαλλόμενοι ἀδυνάτοις*.

β) *αι*, velut 676, 11 *ἀρχαὶ οὖν*.

γ) *ου*, velut 676, 14 *λόγου ἀρχή*; cf. Gal. V 11, 10 *βίου ἀπάθειαν*.

δ) *ῳ*, velut 681, 7 *τόπῳ ἀλλότριον*; cf. Marquardt p. LII.

[1]) Libros eorum, qui hanc rem fusius tractaverunt, enumerat Albertus Minor in dissertatione quae inscribitur *De Galeni libris Περὶ δυσπνοίας* Marpurgi 1911 p. 49.

[2]) De codd. quos inspexi vide appendicem.

ε) *η*, velut 692, 16 *κυβερνήτῃ αἱρετώτερον*; cf. Marquardt ibidem.

8. post verborum formas in *αι* exeuntes, velut 677, 4 *ἄρχονται οἱ*.

9. in pausa orationis: 675, 11 *αἶγα, ἥτις*; 678, 5 *λογική, ἐμπειρική*.

Denique hoc quoque hiatus genus Galeno tolerabile fuit[1]): 676, 14 (cf. 677, 1. 15; 678, 2) *ἀρχὴ ἡ*; cf. Gal. V 187, 10 et 563, 14 *ἀρχὴ ἡ*.

Quamquam vero haec hiatus genera non abhorrent a Galeni consuetudine, tamen monendum est frequentiam imprimis eorum hiatuum, quos enumeravi sub 7—9 in hoc libello longe procedere ultra Galeni normam. Hoc inde fieri puto, quod Galenus huiusmodi quoque hiatus quantum fieri potest vel positione verborum vel similibus artibus evitare studet, velut hiatus vitandi causa eum scripsisse puto I 65, 12 *δέ εἰσιν εἰθισμένοι* pro *δὲ εἰθισμένοι εἰσὶν* et VII 902, 11 *ἀληθὲς ὑπάρχειν ὥστε* pro *ἀληθὲς εἶναι ὥστε*; contra scriptorem huius libelli has artes plane neglegere nemo negabit, qui cognoverit saepius eum hiatus facillime evitare potuisse, scribentem e. g. p. 677, 5 *εἰδέναι δύνανται* pro *δύνανται εἰδέναι*, p. 686, 11 *οὐδέπω τὸ τέλος αὐτῆς διαδείκνυται* pro *οὐδέπω αὐτῆς διαδείκνυται τὸ τέλος*.

Accedit, quod praeter haec hiatus genera satis magnus numerus hiatuum in libello exstat, quos Galenus nullo modo admisit. Satis habeo eos enumerare, qui inveniuntur in capitibus *α′—ι′*: 674, 6 *δοκεῖ εὑρετής*; 677, 17 *ἱστορία ἄρχεται*; 679, 2 *μεταβάσει ἀπό*; 679, 10 (cf. 682, 9) *χαρακτηρίζει οὖν*; 680, 4 *καθολικὰ ἀνάγουσιν*; 681, 9 *μεγέθει ἀλλότριον*; 681, 13 *ἐλλείψει ἀλλότριον*; 682, 7 *θεραπευτικὴ αὐτῶν*; 682, 14 *ἀνάγει εἰς*; 685, 2 *τέχνη εἰκότως*; 685, 8 *οὐχὶ ἀσυναρτήτους*; 685, 9 *τέχνη ὀνομάζοιτο*; 687, 15 *λαμβάνει ἡ*; 688, 5 *τυγχάνει αὐτοῦ*;

[1]) cf. Ioh. Petersen *In Gal. de plac. Hipp. et Plat. libr. quaestt. crit.* Diss. Gotting. 1888 p. 45.

688, 14 *εὖ ἡρμοσμένων*; 688, 17 *ὕλη αὐτῶν*; 689, 3 *μέρη ἰατρικῆς*; 691, 8 *πάθη εἰδοποιοῦνται*; 692, 12 *συνεκτικὴ αἰτία*; 693, 6 *πάθη ἴᾶται*; 693, 9 *ἄρτι ἀπαλλαγείς*. Hae concursiones vocalium eo maiore vi et auctoritate libellum Galeni non esse probant, quod earum quoque nonnullas scriptor facillime vitare potuit, velut p. 685, 2 scribens *τέχνη λέγοιτ' ἂν εἰκότως ἡ ἰατρική*; 685, 8 *οὐκ ἀσυναρτήτους*; 685, 9 *ὀνομάζοιτο τέχνη*; 691, 8 *εἰδοποιοῦνται τὰ πάθη*; 692, 12 *συνεκτικὸν αἴτιον*; 693, 6 *ἴᾶται ⟨τὰ⟩ ἤδη γενόμενα πάθη*; 693, 9 *ἀπαλλαγεὶς ἄρτι* vel *ἀρτίως ἀπαλλαγείς*.

Detectis his artis vocabulorum et generis dicendi[1]) differentiis nemo iam negaverit iniuria libellum Galeno addictum esse, nisi turbatur quis forte uno loco, quo libellum genuinum esse primo aspectu putes confirmari. Laudat enim scriptor duo haec, quae ipse composuerit, scripta: *τὸ περὶ ἀρίστης συνθέσεως φαρμάκων* p. 760, 13; 761, 7 et *τὸ περὶ ἁπλῶν φαρμάκων* p. 760, 16. His verbis conicias Galenum indiligentius proferre ea quae scripsit *Περὶ συνθέσεως φαρμάκων τῶν κατὰ τόπους* et *τῶν κατὰ γένη* et *Περὶ κράσεως καὶ δυνάμεως τῶν ἁπλῶν φαρμάκων*. Sed primum monendum est nunquam Galenum libros suos quos de medicamentis scripsit eisdem verbis citare aut eodem modo quo hic factum videmus; nunquam eum libri titulo numerum singularem articuli anteponere, semper fere addere *πραγματεία* vel *ὑπόμνημα*:

[1]) Helmreich *Handschriftl. Studien zu Galen* III p. 5 enumerat etiam haec vocabula Galeno inusitata: *κατάλληλος* 678, 15; 694, 16; 756, 15; 763, 12; *χαρακτηρίζειν* 678, 11; 679, 16; 682, 8; *ἐφοδιάζειν* 684, 3; *συνέλευσις* 691, 7; *ὁδεύειν εἰς τὸ κατὰ φύσιν* 693, 9; *χρηματίζειν* 699, 10 (= *nuncupari*); *προστυπής* 710, 4; *ἁρμόδιος* 733, 4; 741, 15; 795, 2; *ἀνασκευή* (sc. *νόσου*) 763, 10; *ἡ μεταξύτης* 790, 9 (*τὴν μεταξύτητα* codd., *τὰ μεταξὺ* Kuehn); *μέχρις ὅτε* 718, 6. Praeterea haec a Galeni ratione abhorrere monet: *μέχρι* particula *ἄν* omissa cum modo coniunctivo coniunctum 784, 9 (*κενεμβατήσῃ* codd.); 786, 19; *εἰ* cum coniunctivo coniunctum 796, 18; 797, 2, et hanc compositionem verborum: *τροφῆς μὲν γὰρ ἀποσχέσθαι ἐπὶ πλεῖστον ἔστιν ὑπομένειν* 715, 16.

VI 269, 14 *οὔτ' ἐν τῇ περὶ τῶν ἁπλῶν φαρμάκων οὔτ' ἐν τῇ περὶ συνθέσεως (συνθέσεων* Kuehn) *αὐτῶν*[1]) ... *πραγματείᾳ* — VI 437, 4 ... *κἀν ταῖς περὶ τῶν φαρμάκων* (sc. *πραγματείαις*) ... *προτέρας μὲν τῇ τάξει τῆς τῶν ἁπλῶν, δευτέρας δὲ τῆς τῶν συνθέτων*[1]) — X 245, 7 *ἐν τοῖς περὶ φαρμάκων ὑπομνήμασιν*[2]) — X 246, 4 *κἀν τοῖς περὶ φαρμάκων ὑπομνήμασιν*[3]) — X 296, 6 *ἐν τοῖς περὶ φαρμάκων*[2]) — X 317, 6 *ἐν τοῖς περὶ φαρμάκων ὑπομνήμασιν*[2]) — X 853, 17 *ἐν τοῖς περὶ τῆς τῶν ἁπλῶν φαρμάκων δυνάμεως ὑπομνήμασιν* — X 896, 1 *κατὰ τὰς περὶ τῶν φαρμάκων πραγματείας ... μίαν μὲν τὴν περὶ τῆς δυνάμεως αὐτῶν, ἑτέραν δὲ τὴν περὶ τῆς συνθέσεως*[3]) — X 951, 11 *ἐν ταῖς περὶ φαρμάκων πραγματείαις* — X 955, 2 *ἐν τῇ περὶ τῶν φαρμάκων πραγματείᾳ ... ἥ τε περὶ τῶν ἁπλῶν καὶ ... ἡ περὶ συνθέσεως αὐτῶν*[3]) — X 962, 4 *κατὰ ... τὰς περὶ φαρμάκων* (sc. *πραγματείας*) — X 994, 8 *κατὰ τὰς περὶ τῶν φαρμάκων πραγματείας* — XI 99, 17 *ἐν τῇ περὶ τῆς τῶν ἁπλῶν φαρμάκων δυνάμεως ... πραγματείᾳ* — XI 105, 1 *ἐν τῷ πέμπτῳ τῆς περὶ τῶν ἁπλῶν φαρμάκων πραγματείας* — XI 118, 5 *ἐν τῷ πέμπτῳ περὶ τῆς τῶν ἁπλῶν φαρμάκων δυνάμεως συντάγματι* — XII 703, 11 *κατὰ τὸ πέμπτον ὑπόμνημα τῆς τῶν ἁπλῶν φαρμάκων πραγματείας* — XIII 188, 18 *ἐν μὲν οὖν τῇ περὶ τῶν ἁπλῶν φαρμάκων πραγματείᾳ* — XIII 365, 14 *ἐν τοῖς περὶ τῆς τῶν ἁπλῶν φαρμάκων δυνάμεως ὑπομνήμασιν* — XIV 8, 6 *ἐν τῷ περὶ τῆς τῶν ἁπλῶν φαρμάκων δυνάμεως ἐνάτῳ* — XIV 80, 14 *ἐν τῇ περὶ τῶν ἁπλῶν φαρμάκων πραγματείᾳ*.[4])

Accedit, quod scriptor alterius libelli inscriptionem bis dicit esse *περὶ ἀρίστης συνθέσεως φαρμάκων*; contra in Galeni librorum titulis illud *ἀρίστης* non inest. Denique nequaquam Galeni proprii fuerunt hi tituli, velut Criton medicus scripsisse videtur *Περὶ τῆς τῶν φαρμάκων συνθέσεως* (Gal. XIII 786, 17), Dioscuridis autem *Περὶ ἁπλῶν φαρμάκων* exstant libri duo.[5]) Neque igitur inde quod

[1]) Hic liber non idem est qui nobis asservatur *Περὶ συνθέσεως φαρμάκων*, cf. ***Rhein. Mus.*** 44 (1889) p. 225 adn. 2.

[2]) Pertinent haec verba ad libros qui sunt *Περὶ κράσ. καὶ δυν. τ. ἁπλ. φαρμ.*, cf. ***Rhein. Mus.*** 44 (1889) p. 223 adn. 3.

[3]) Liber non adservatus idem est qui VI 269, 15 citatur; cf. ***Rhein. Mus.*** 44 p. 226.

[4]) Omitto XVI 160, 12, quia haec verba non Galeni sunt; cf. ***Sitz.-Ber. d. Berl. Akad.*** 1916 p. 138.

[5]) cf. M. Wellmann *Die Schrift des Dioskurides Περὶ ἁπλῶν φαρμάκων*. Berol. 1914.

scripta illa laudantur concludi licet libellum genuinum Galeni esse; immo vero mirum esset Galenum in hoc libello, quo universae medicinae materia tractatur, exceptis illis scriptis nullum ipsius librum commemorare, qua in re eum nimium fuisse constat.

De aetate libelli

Quoniam libellum genuinum Galeni non esse satis videtur probatum, deinceps quaerendum est, quid de vera eius origine erui possit. Atque ita quaestio instituatur, ut primum de aetate, tum de scriptore libelli disseramus.

Quaerentibus igitur nobis, cui fere aetati libellum vindicemus, primum, ut statuamus unde temporis in lucem prodire potuerit, percensenda nobis sunt nomina medicorum, qui in eo laudantur. Obstat nimirum huic quaestioni, quod non solum Sexti Empirici sed etiam aliorum quos scriptor laudat medicorum aetas adhuc in ambiguo est. Attamen inde a Galeni temporibus libellum componi potuisse satis me probaturum spero. Omitto omnes medicos, quos ante secundi p. Chr. n. saeculi initium floruisse constat. Quorum in numero Ctesiphon (764,10) quoque videtur ponendus esse, de quo nihil amplius nobis traditur; sed eundem esse crediderim, cuius medicamenta Celsus quoque (V 18,31 p. 200,10 Marx) et Galenus (XIII 927,13; 936,7) afferunt, si quidem apud Celsum *clesipontis*, quod codices praebent, recte in *Ctesiphontis* mutavit Caesarius. De reliquis satis explorata est aetas Archigenis (684,9; 699,6), qui Traiani temporibus, et Sorani (684,7), qui sub imperio Traiani et Hadriani floruit. Deinde alteri p. Chr. n. saeculo adscribendi sunt Proclus (684,5), quem ultra secundi saeculi finem non fuisse inde apparet, quod Galenus eum laudat (X 52,17 *εἰ δή σοι τὰ Πρόκλου καὶ Ῥηγίνου καὶ Ἀντιπάτρου λέγοιμι καὶ πρὸς τούτοις Εὐδήμου καὶ Μνασέου*

καὶ Φίλωνος καὶ Διονυσίου . . .), et Olympicus[1]) (684,6), quem aliquanto ante Galenum fuisse inde efficitur, quod Iulianus, qui Apollonium discipulum Olympici magistrum habebat (Gal. X 54,10 *μαθητὴς γάρ ἐστιν οὗτος ὁ Ἰουλιανὸς Ἀπολλωνίου τοῦ Κυπρίου, ἐκεῖνος δ' ἦν Ὀλυμπικοῦ φοιτητής*), aequalis Galeni erat (Gal. X 53,9 *. . . τοῦ νῦν ἔτι ζῶντος Ἰουλιανοῦ*). Tum Antipatrum (684,5) secundo saeculo addicemus. Eum Galenus quoque una cum Proclo, Mnasea, Dionysio aliisque primi et alterius p. Chr. n. saeculi medicis laudat (X 52,17 v. s.). Sed apud Galenum duos medicos, quibus hoc nomen erat, distinguendos esse Wellmann demonstravit,[2]) quorum alter Augusti temporibus floruit, alterum aequalem suum esse Galenus ipse testatus est (VIII 293,8sqq. *τὸ δ' Ἀντιπάτρῳ τῷ ἰατρῷ συμβὰν ἅπαντες ἔγνωσαν, ὡς οὐκ ἀφανῶς ἰατρεύοντι κατὰ τὴν Ῥωμαίων πόλιν . . . ἀπαντήσας οὖν μοί ποτε . . .*). Illum scriptor libelli non dicit, quia Antipatrum post Thessalum Neronis aequalem fuisse praedicat; itaque Galeni aequalem eum dicere equidem pro certo habeo. De Sexti Empirici (683,18) aetate priore huius dissertationis parte actum est. *Βίσσινος* ille vel *Βισσίνης*, cuius medicamentum ad vesicae ulcerationes utile scriptor memorat (749,8), quis fuerit, explorare non potui. Sed medicamentum illud idem esse puto, quod Galenus dicit *Βιννίτου φάρμακον . . . χρήσιμον πρὸς τὰς περὶ κύστιν ἕλκώσεις* (XIII 330,9). Nominis memoriam corruptam esse inde quoque intellegitur, quod codex Monacensis huius libelli *βιατίνου* formam praebet. Restat, ut de Leonida (684,8) videamus. Eum priores viri docti, qui

---

[1]) Codices et editiones huius nominis formam *Ὀλυμπιακὸς* tradunt. Sed Olympiacum medicum non novimus; immo Olympicum fuisse docet Galenus, qui item ut scriptor libelli eum una cum Menemacho et Sorano laudat (X 53,8 . . . *Μενεμάχου καὶ τοῦ ληρώδους Ὀλυμπικοῦ καὶ μετ' αὐτοῦ Ἀπολλωνίδου καὶ Σωρανοῦ*; cf. X 54,9.11.12; 55,1; 67,9).

[2]) *Fleckeisens Jahrbücher* 145 (1892) p. 678.

de historia medicinae egerunt, Sprengelium[1]) secuti fuisse dixerunt post Galenum, quippe quem commemoraret in fragmento ab Aetio[2]) nobis tradito. Contra Wellmann *Die pneum. Schule* p. 16 primo p. Chr. n. saeculo exeunti eum attribuit, quia iam a Sorano citaretur (Cael. Aurel. Acut. morb. II 1 p. 75,3 Amman). Et rectius hunc iudicare nemo negabit. Nam Caelium Aurelianum, qui Sorani opera *latinizanda* se suscepisse ipse testatur (Acut. morb. II 1 p. 75,14 Amman), illo loco, quo varias medicorum sententias ultimamque Sorani affert, auctoris verba ex sua ipsius notitia auxisse quis est qui credat? Atenim qui fit, ut in fragmento illo ab Aetio Leonidae addicto Galenus memoretur? De hac re plane mihi probata est sententia Wellmanni, quam per litteras benignissime mecum communicavit: fragmenti illius duas distinguendas esse partes, alteram chirurgicam, alteram therapeuticam; ad solam chirurgicam referendum esse illud *Leonidae*; therapeuticam partem (inde a verbis *At vero medicamenta, quae . . .*), in qua Galenus memoretur, ex alio fonte depromptam esse. Saepius hoc apud Aetium fieri Wellmann mihi affirmavit.

[1]) Sprengel *Versuch einer pragm. Geschichte d. Arzneykunde* II ed. III p. 130.

[2]) Aet. XIV 11 *De fistulis ani, Leonidae.*

Quandoquidem ex mala ulcerum curatione et praecipue circa sedem saepe fistula succedit, consequenter etiam de his dicendum est. Proinde aegro in sella aut alio quodam plano loco collocato artifex a dextris magis ipsius aegri desidens chirurgiam perficiat. Deinde chirurgiam describit. Tum: *Ceterum in iis qui ob mollitiem aut timiditatem rogant nos, ut per medicamenta curentur, primum conari oportet, ut per pharmaca vesiccantia ac fistulas claudentia curemus. Quae si nihil effecerint, ad ea quae callosa corpuscula erodere ac consumere possunt, transeundum est, quae fistularia collyria appellantur: quorum praeparationes in universali De fistulis tractatu paulo post in hoc sermone dicemus. At vero medicamenta, quae fistularum resiccationem promittunt, sunt emplastrum ex spuma argenti et aceto ac oleo paratum et emplastrum sine cera et fulvum Galeni et harmonia et ex salibus et ex lolio constans et consimilia. Facit et hoc ad fistulas incipientes in sede rimasque: . . .*

Perlustratis igitur nominibus medicorum, quia ultra Antipatrum Galeni aequalem nullum medicum scriptor memorat, satis quod erat propositum demonstratum esse videtur, inde a Galeni temporibus libellum componi potuisse. Sed quaeritur, num idem efficiatur ex locis nonnullis, quibus *οἱ νεώτεροι ἰατροί* laudantur. Hos locos singulos tractandos propono: p. 687,9 *οἱ δὲ νεώτεροι οὕτως ὡρίσαντο* (sc. *τὴν ἰατρικήν*)· *ἰατρική ἐστιν ἐπιστήμη ὑγιείας μὲν τηρητική, νόσων δὲ ἀπαλλακτική.* Huius definitionis exemplum neque apud Galenum neque apud alium medicinae scriptorem inveni. — p. 711,15 *ὁ δὲ ὀφθαλμὸς συνέστηκεν μὲν καθ' Ἱπποκράτην ἐκ χιτώνων δύο . . .· κατὰ δὲ τοὺς νεωτέρους ἐκ τριῶν, κατ' ἐνίους δὲ ἐκ τεσσάρων. πρῶτος μὲν οὖν ἔξωθέν ἐστιν ὁ κερατοειδής . .., δεύτερος δέ ἐστιν ὁ ῥαγοειδής . .., τρίτος δὲ ὁ ἀμφιβληστροειδής . .., δεχόμενος ἐπ' ἄκρῳ τὸν ὑπό τινων εἰσαγόμενον τέταρτον χιτῶνα, ὃν καὶ ἄδηλον προσαγορεύουσιν.* Tres esse oculi tunicas iam scriptor libelli qui exstat inter Hippocraticos *Περὶ τόπων τῶν κατὰ ἄνθρωπον* c. 2 (VI 280,2 Littré) dicit: *μήνιγγες δὲ τρεῖς εἰσιν αἱ τοὺς ὀφθαλμοὺς φυλάσσουσαι, ἡ μὲν ἐπάνω παχυτέρη, ἡ δὲ διὰ μέσου λεπτοτέρη, ἡ δὲ τρίτη λεπτὴ ἡ τὸ ὑγρὸν φυλάσσουσα.* Harum tunicarum nomina graeca primus nobis Cornelius Celsus VII 7,13 (p. 319,12 Marx) tradere videtur: (oculus) *. . . habet duas tunicas, ex quibus superior a Graecis ceratoides vocatur . . . satis crassa . . . . Huic inferior adiuncta est . . . circa tenuis . . . quae chorioides a Graecis nominatur . . . . Deinde infra rursus tenuissima tunica, quam Herophilus arachnoidem vocavit.* Eisdem nominibus quibus scriptor libelli Rufus Ephesius (p. 154,1 sqq. Daremberg-Ruelle) utitur: *τῶν δὲ τοῦ ὀφθαλμοῦ χιτώνων ὁ μὲν πρῶτος ἐν τοῖς ἐπιφανέσιν ὠνόμασται κερατοειδής· οἱ δὲ ἄλλοι ὁ μὲν δεύτερος ῥαγοειδὴς καὶ χοριοειδής· . . . ὁ δὲ τρίτος . . . καλεῖται ἀρχαῖον ὄνομα ἀραχνοειδής· . . . ἔνιοι καὶ ἀμφιβληστροειδῆ καλοῦσιν· ἄλλοι δὲ καὶ ὑαλοειδῆ.* Deinde Rufus quartam adiungit tunicam, de qua haec verba facit (p. 154,11 D.-R.): *ὁ δὲ τέταρτος περιέχει μὲν τὸ κρυ-*

σταλλοειδὲς ὑγρόν, ἀνώνυμος δὲ ὢν ἐξ ἀρχῆς ὕστερον φακοειδὴς μὲν διὰ τὸ σχῆμα, κρυσταλλοειδὴς δὲ διὰ τὸ ὑγρὸν ὠνομάσθη. Hanc tunicam eandem esse quam scriptor libelli dicit *χιτῶνα ἄδηλον* quamquam pro certo dici non potest, tamen verisimillimum esse concedet, qui huius verba cum eis, quae de hac tunica inveniuntur in libello *Περὶ ἀνατομῆς τῶν τοῦ ἀνθρώπου μορίων*, quem Rufi esse vulgo putant,[1]) contulerit[2]):

Ps.-Gal. p. 712,3	Ruf. p. 172,1 D.-R.
. . . ἀμφιβληστροειδὴς ἐγκολπούμενος ὥσπερ ⟨ἀμφίβληστρον⟩ καὶ δεχόμενος ἐπ' ἄκρῳ τὸν ὑπό τινων εἰσαγόμενον τέταρτον χιτῶνα, ὃν καὶ ἄδηλον προσαγορεύουσιν.	*ἀπὸ γὰρ στενοῦ εἰς πλάτος ἀνευρύνεται καὶ κοιλαίνεται* (sc. *ὁ ἀμφιβληστροειδὴς*) *πρὸς παραδοχὴν τοῦ τετάρτου χιτῶνος, ὃς ὑγρὸν περιέχει κρυστάλλῳ παραπλήσιον.* —

729,7 *τὸν μὲν οὖν πυρετὸν οἱ παλαιοὶ πάθος αὐτὸν καθ' αὑτὸν ἡγοῦνται, Ἐρασίστρατος δὲ καὶ τῶν νεωτέρων τινὲς ἐπιγέννημα.* De Erasistrato, cuius haud paucos altero post Chr. n. sectatores fuisse e Galeni libris compertum habemus, cf. Pauly-Wiss. VI 345, accedit Diocles Carystius fr. 31 Wellmann (*Διοκλῆς ἐπιγέννημα εἶναι τὸν πυρετόν· ἐπιγίνεται δὲ τραύματι καὶ βουβῶνι*); alium medicum non inveni, qui febrim *ἐπιγέννημα* dixerit. — 729,15 *κατὰ δὲ τοὺς νεωτέρους ἡ ἐκ βάθους ἀναφερομένη θερμασία πλείων τῆς κατὰ φύσιν, δακνώδης καὶ δριμεῖα καὶ ἐπίμονος μετὰ τῆς τῶν σφυγμῶν πυκνότητός τε καὶ σκληρότητος οὖσα τὸν πυρετὸν ἀφορίζει.* Eandem fere febris definitionem inveni in Ps.-Gal. Def. med. (Gal. XIX 398,11)[3]): *πυρετός ἐστι πλεονασμὸς θερμασίας νοσώδους καὶ μάλιστα τῆς ἐκ βάθους ἀναφερομένης μετὰ παραλλαγῆς σφυγμῶν ἐπὶ τὸ πυκνότερον καὶ σφοδρότερον.* Sed nihil est causae, cur putemus post Galeni demum aetatem medicos hac definitione usos esse. — 731,14 *φλεβοτομίαν δὲ ἐν ἀρχῇ μὲν κρίνουσιν οἱ νεώτεροι μέχρι τῆς διατρίτης*

[1]) cf. Pauly-Wiss. sec. ser. I 1209.
[2]) cf. H. Magnus *Die Augenheilkunde der Alten* p. 447 et 449.
[3]) cf. Aet. V 7.

(*ἐγκρίνουσιν* et *διατρίτου* Kalbfleisch), *οἱ δὲ παλαιοὶ καὶ μετὰ τὴν τρίτην παραλαμβάνουσιν.* Ad methodicae sectae praecepta, quae sunt de diatrito, haec verba spectare nemo negabit; cf. quae K. Ios. Bauer *Geschichte der Aderlässe* München 1870) p. 43 de hac re et imprimis de Sorani praeceptis p. 47 disseruit. Sorani praecepta nobis asservavit Cael. Aurel. Acut. morb. I 10. — 731,17 *τροφῆς δὲ καιρὸς μετὰ τὴν διάτριτον κατὰ τοὺς νεωτέρους.* Haec quoque methodicae sectae doctrinam sapere consentaneum est, cf. e. g. quae Thessalus de cibo paralysi aegrotantibus dando praecepit Cael. Aur. Morb. chron. II 1,60: *Thessalus . . . post phlebotomiam usque ad tertium diem imperat abstineri.* — 733,9 *ὁ δὲ καῦσος εἶδος μέν ἐστι πυρετοῦ, τέτακται δὲ ὑπὸ μὲν Ἱπποκράτους ἐν τοῖς ὀξέσιν ὡς ⟨ὁ⟩ τεταρταῖος ἐν τοῖς χρονίοις, ὑπὸ δὲ τῶν νεωτέρων οὐκ ἔτι.* De hac re non habeo quae proferam, nisi forte haec dissensio cohaeret cum distinctione quam faciebant inter causum legitimum et spurium, quorum ille cum inexplebili coniunctus est siti, hic non item; qua de distinctione cf. Gal. XV 754,14 sqq. (282,14 sqq. Helmreich). — 744,4 *ἐμπνήματος δὲ ἴασις ἡ μὲν παλαιὰ διὰ καυστηρίων ἀναξηραινόντων τὸν θώρακα καὶ εἰς τὰ ἐκτὸς μεταρρευματίσαι, ἡ δὲ νεωτέρα συμπεπᾶναι τοῖς τε καταπλάσμασι καὶ τοῖς ἐκλεικτοῖς, ἔπειτα ἀνακαθᾶραι ταχέως τοῖς διὰ στόματος διδομένοις φαρμάκοις.* Galenus quoque veteres suppurationem urere consuevisse memorat (XVIII A 149,11 *. . . οὓς* — i. e. *ἐμπύους* — *ὅτι συνήθως ἔκαιον οἱ παλαιοὶ μαθεῖν ἔστι καὶ ἐξ ὧν εἴρηκε Πλάτων ὁ κωμικός . . .*) nempe propterea, quia ipsius aetatis medici aliam huic morbo curationem adhibere solebant. Idem Galenus multa affert emplastra et medicamenta suppurationi medentia: XIII 52,8; 87,1; 98,3; 101,12; 102,4; 103,9; 104,10; 105,7; 343,10; cf. X 339,17 sqq. Sed multo ante Galeni tempora recentiorem hanc suppurationis curationem adhibitam esse inde apparet, quod iam Celsus ferramentis nisi in summo rerum discrimine non utitur (VIII 9 p. 388,22 Marx: *si suppuratio vicerit neque*

per quae supra scripta sunt discuti potuerit, . . . demittendum erit candens ferramentum). — 746,2 *ὑδρώπων δὲ τριττὸν εἶδος κατὰ τοὺς νεωτέρους, ὁ μὲν ἀσκίτης, ὁ δὲ τυμπανίτης, ὁ δὲ ὑποσαρκίδιος*. Eadem hydropis genera Celsus III 21 (p. 130 sqq. Marx) fusius tractat. Sed iam multo ante Celsum Heraclidem Tarentinum et Demetrium Apamenum tres hydropis species disiunxisse Caelius Aurelianus Morb. chron. III, 8 (p. 468, 20 sqq. Amman) testatur. — 783,9 *οἱ μὲν οὖν παλαιοὶ χοινικίσι*[1]) *πρίοντες* [*ταῖς*] *διὰ τῆς περιστροφῆς ἐξέκοπτον αὐτά* (i. e. fracta ossa capitis)· *οἱ δὲ μετὰ ταῦτα κεφαλοτρυπάνοις, ἕδρας παρέχοντες τοῖς ἐκκοπεῦσιν· οἱ δὲ νῦν μόνοις τοῖς ἐκκοπεῦσιν ἀρκοῦνται*. Et *χοινικίσιν* et *κεφαλοτρυπάνοις* Celsus VIII 3 utitur: *Exciditur vero os duobus modis: si parvulum est, quod laesum est, modiolo, quam χοινικίδα Graeci vocant*; *si spatiosius, terebris* (p. 374, 23 sqq. Marx). His terebris totus locus, qui excidendus est, foraminibus cingitur; *tum excisorius scalper ab altero foramine ad alterum malleolo adactus id quod inter utrumque medium est excidit* (p. 375, 18 sq. Marx).[2]) Tum Heliodorus[3]) *τρυπάνοις* i. e. terebris[4]) utitur. Galenus denique eadem fere quae scriptor libelli de hac re docet *Meth. med.* VI 6 (X 444 sqq. Kuehn).[5]) Commemorat enim et *τὴν χοινικίδα* (p. 448,2) et *τὸ τρύπανον* (p. 446,15) et *τὸν κυκλίσκον* i. e. scalprum (p. 446,17), sed optimum esse dicit scalpris tantum uti (p. 446,17 sqq. et 448,3 sqq.). Eandem igitur in capitis perforatione rationem, quam suae aetatis medicos adhibere scriptor tradit, Galenus in libro,

[1]) *χοινιχησι* codd., *χοινικίοις* Kuehn, cf. Helmreich *Handschriftl. Studien zu Galen* III p. 39: *ταῖς* del. Kalbfleisch; *περιστροφῆς (circumversionem)* interpretatio lat.: *περιστρεφομένης* vulg.

[2]) cf. Gurlt *Geschichte der Chirurgie* p. 378.

[3]) Oribas. ed. Bussemaker et Daremberg IV 155 sqq. cf. Gurlt l. l. p. 417.

[4]) cf. Gurlt l. l. p. 417 adn. 1. Orib. l. l. p. 158,9 sqq.

[5]) cf. Gurlt l. l. p. 455.

quem ante annum centesimum octogesimum scriptum esse constat,[1]) praeferendam praedicat.

Tractatis igitur his locis, quibus recentiores medici commemorantur, primum apparet scriptorem *νεωτέρους ἰατροὺς* neque certae sectae neque certae ac definitae aetatis medicos dicere. Deinde nullus locus spectare videtur ad medicos, qui post Galeni aetatem fuerunt. Ergo hi loci non discrepant cum eo, quod supra ostendimus, inde a Galeni temporibus libellum componi potuisse.

Iam nobis, ut quoad maxime fieri potest in angustum concludamus temporis spatium, quo libellus componi potuerit, anquirendum est certum atque definitum temporis vestigium, ante quod in lucem eum prodisse necesse sit. Sed obstat huic quaestioni, quod quantum equidem scio, nullum indicare possumus scriptorem, qui hunc libellum exscripserit. Quod enim Pollucis verba duobus locis propius accedere videntur ad capita *ι'* et *ια'*, E. Zarncke, qui de secundi *Onomastici* libri fontibus accuratius disseruit, suo iure mihi videtur casui tribuere.[2]) Qui loci sunt:

Poll. II 36 p. 92,21 Bethe
καὶ τὸ μὲν σύμπαν ὀστοῦν καλεῖται κεφαλῆς κύτος . . .
Poll. II 179 p. 138,16 Bethe
τὸ δὲ μέσον τῆς ὀσφύος ἄκνησις, κυρίως μὲν ἐπὶ τῶν τετραπόδων, Ὅμηρος δὲ καὶ ἐπ' ἀνθρώπου κέχρηται λέγων 'κατ' ἄκνησιν μέσα νῶτα'.

Gal. XIV 700,6
κεφαλῆς γοῦν τὸ μὲν πᾶν κύτος . . .
Gal. XIV 707,6
τὸ μὲν εὐθὺ ὑπὸ τὸ μετάφρενον ἄκνησιν εἶπεν Ὅμηρος, δ⟨ς⟩ καὶ διασαφῶν προσέθηκεν 'κατ' ἄκνησιν μέσα νῶτα'.

Praeterea hunc libellum fontem fuisse *Quaestionum medicinalium*, qui liber Sorano falso adscribitur, sunt qui credant.[3])

[1]) Ilberg *Ueber die Schriftstellerei des Klaudios Galenos. Rhein. Mus.* 44 (1889) p. 229.

[2]) E. Zarncke *Symbolae ad Iulii Pollucis tractatum de partibus corporis humani* Lips. 1885 p. 28.

[3]) cf. *Jahresberichte über die Fortschritte der klassischen Altertumswissenschaft* 158 (1912) p. 164.

Huius libri maiorem partem Val. Rose edidit,[1]) novum fragmentum addidit Stadler.[2]) Stadler Rosei[3]) sententiam secutus harum quaestionum scriptorem maxima parte Ps.-Galeni libellum qui inscribitur *Ὅροι ἰατρικοί* exhausisse putat; eam solam partem, quae sit de partibus corporis humani (*Arch. f. Lex.* p. 365,11 — Rose p. 255 Nr. 53), quae in illo libro non inveniatur, in Ps.-Galeni libro qui inscribitur *Εἰσαγωγὴ ἢ ἰατρός* inesse dicit. Atque confitendum est Quaestiones medicinales quibusdam locis non solum eius partis quae est de partibus corporis, sed etiam in reliquis mirum in modum accedere ad libelli verba. Afferam nonnulla exempla:

Rose l. l. p. 247,22:
. . . apud quosdam partim disciplina est, partim coniectura.

Ps.-Gal. p. 684,11:
τινὲς τῶν λογικῶν ὑπέλαβον τὸ μέν τι ἐπιστημονικὸν ἔχειν τὴν ἰατρικήν . . ., τὸ δὲ στοχαστικόν.

Rose p. 248,17:
doctrinae autem principium est naturam corporis cognoscere. natura autem corporis principium est rationalis medicinae . . . impossibile est enim, cum non primum didiceris quae secus naturam, vel quae contra naturam fiunt intellegere.

Ps.-Gal. p. 677,2:
. . . ἀρχὴ τοῦ ἐν ἰατρικῇ λόγου ἡ φύσις πρώτη. ἀπὸ γὰρ τοῦ φυσιολογεῖν ἄρχονται οἱ δογματικοί, ἐπειδὴ ἐκ τῶν κατὰ φύσιν καὶ τὰ παρὰ φύσιν δύνανται εἰδέναι, ἄνευ δὲ τοῦ γνῶναι τὸ κατὰ φύσιν τὸ παρὰ τοῦτο ἔχον οὐχ οἷόν τε ἐπίστασθαι.

Rose p. 253,20:
et plus definitionibus quidem utuntur dogmatici, descriptionibus vero empirici.

Ps.-Gal. p. 686,14:
ὅροις μὲν ἐχρήσαντο οἱ λογικοί, ὑπογραφαῖς δὲ οἱ ἐμπειρικοί.

Arch. f. Lex. p. 365,27:
Quot cossutiones habet hominis testa? quinque; vocatur enim illa, quae super frontem est † bregma stephano id est corona;[4]) quae in occipitio est, obolica[5]) id est recta; quae vero retrorsum in occipitio est supra cervicem, lapdoitis; nam quae circa utraque tempora sunt, dicuntur crotafiae vel leppidoides.

Ps.-Gal. p. 720,9:
ῥαφαὶ δὲ εὑρίσκονται ἐπὶ τῶν πλείστων πέντε. στεφανιαία ἡ διὰ τοῦ βρέγματος, ὀβολιαία[5]) ἡ διὰ τῆς κορυφῆς, λαμβδοειδὴς ἡ διὰ ἰνίου, κροτάφιαι δύο, καθ' ἑκάτερον κρόταφον μία.

[1]) Val. Rose *Anecdota graeca et graecolatina* II (1870) p. 243.
[2]) *Archiv f. lat. Lexicographie* XIV (1906) p. 361.
[3]) Rose l. l. p. 170.
[4]) sic fere corrigendum: ⟨*per*⟩ *bregma, stephanica id est corona*⟨*ria*⟩.
[5]) cf. p. 20.

. . . ea pars, qua capilli colliguntur. vertex.

Ps.-Gal. p. 700,11:
. . . κορυφή, ἀφ' ἧς καὶ δοκεῖ ἄρχεσθαι ἡ ἔκφυσις τῶν τριχῶν.

Sed utrum Quaestionum medicinalium scriptor libellum exscripserit an utriusque libelli scriptor eodem fonte usus sit, neque diiudicare possumus neque ad quaestionem nostram magni momenti est, quia, cui aetati vindicemus Quaestiones medicinales, ignoramus. Certe veri similius mihi videtur Quaestionum medicinalium scriptorem ipso Ps.-Galeni libello non usum esse, quia multis in rebus nimium differunt, velut id quod ille refert de Hippocratis sententia (*Arch. f. Lex.* 366,5 *dicit autem Hyppocrates et inferiorem maxillam iuncturam habere per mentum*) hunc silentio praeterire[1]) alicuius momenti esse credo. Praeterea ille capitis suturarum quae *κροτάφιαι* nominantur alterum nomen affert *leppidoides*, quo nomine hic non utitur.

Quae cum ita sint, iam alia nobis anquirenda sunt vestigia, quibus si minus certe at tamen aliquo modo accuratius temporis terminum, quem libelli aetas non possit egressa esse, nobis liceat definire. Primum monendum est scriptorem libelli eorum medicorum, qui secundo p. Chr. n. saeculo vel superiores vel aequales Galeni floruerunt, satis magnum numerum laudare, eundem vero neque Galenum neque eorum medicorum qui post Galenum fuerunt ullum commemorare. Propterea haud scio an nobis conicere liceat ipsis Galeni temporibus libellum compositum esse. Deinde ex eis, quae p. 29 contuli, nobis licet concludere scriptorem libelli eandem fere de oculi structura sententiam ac Rufum habuisse. Certe quartam illam oculi

[1]) cf. p. 721,9 sqq.

tunicam, qua *τὸ κρυσταλλοειδὲς ὑγρὸν* circumdatur, quam hic *φακοειδῆ*, ille *ἄδηλον* appellat, a posteriore parte accommodatam esse ad tunicam *ἀμφιβληστροειδῆ* i. e. retiformem uterque censet. Tunicam retiformem *τὸ ὑαλοειδὲς ὑγρὸν* ita undique circumdare, ut eo loco, quo involvat tunicam *φακοειδῆ* sive *ἄδηλον*, sinuata sit. Contra Galenus longe aliam et quae magis cum vera conveniat sententiam habet de harum oculi partium natura: neque *τὸ κρυσταλλοειδὲς ὑγρὸν* a posteriore parte tunica obtectum esse neque tunicam retiformem *τὸ ὑαλοειδὲς ὑγρὸν* ita undique circumdare, ut immittatur inter humorem glacialem et vitriformem.[1]) Haec Galeni sententia posterioris aetatis medicis probata esse videtur;[2]) certe Rufi sententiam post Galenum apud nullum medicum inveni. Satis igitur etiam hac de causa verisimile est Galeni temporibus libellum compositum esse. Tum hoc quoque, quamquam minoris momenti esse puto, moneo medicos qui post Galenum fuerunt humorem illum, quem scriptor libelli *ὑγρὸν ὑδατοειδὲς* appellat (p. 712, 11), *ὠοειδὲς* appellare solere.[3]) Denique id, quod iam supra (p. 32 sq.) ostendi, monendum est Galenum eandem rationem in capitis perforatione praeferre quam suae aetatis medicos adhibere scriptor libelli tradit.

His rebus expositis satis docuisse mihi videor nihil repugnare, nonnulla etiam probare Galeni temporibus libellum in lucem prodisse. Quae cum ita sint, monere tempus erit id quod Galenus narrat in prooemio libelli quem scripsit *Περὶ τῶν ἰδίων βιβλίων*[4]):

ἐν γάρ τοι τῷ Σανδαλαρίῳ, καθ' ὃ δὴ πλεῖστα τῶν ἐν Ῥώμῃ βιβλιο-

[1]) cf. Magnus *Augenheilkunde der Alten* p. 447—449.

[2]) cf. Aet. VII 1.

[3]) cf. Magnus l. l. p. 454; Aet. VII 1; Ps.-Gal. Def. med. XIX p. 358, 18; Alex. Trall. *Περὶ ὀφθαλμῶν*, *Berl. Stud. für klass. Philol.* V 2 (1886) p. 138, 20; contra Cass. med. 759 e.

[4]) XIX 8 Kuehn. Gal. scripta min. rec. Marquardt, Mueller, Helmreich II 91.

πωλείων ἐστίν, ἐθεασάμεθά τινας ἀμφισβητοῦντας, εἴτ' ἐμὸν εἴη τὸ πιπρασκόμενον αὐτοῖς[1]) *βιβλίον εἴτ' ἄλλου τινός. ἐπεγέγραπτο μὲν*[2]) *γὰρ 'Γαληνὸς ἰατρός', ὠνουμένου δέ τινος ὡς ἐμὸν ὑπὸ τοῦ ξένου τῆς ἐπιγραφῆς κινηθείς τις ἀνὴρ τῶν φιλολόγων ἐβουλήθη γνῶναι τὴν ἀπαγγελίαν*[3]) *αὐτοῦ, καὶ δύο τοὺς πρώτους στίχους ἀναγνοὺς εὐθέως ἀπέρριψε τὸ γράμμα, τοῦτο μόνον ἐπιφθεγξάμενος, ὡς οὐκ ἔστιν ἡ λέξις αὕτη Γαληνοῦ καὶ ψευδῶς ἐπιγέγραπται τουτὶ τὸ βιβλίον.*

Ex eis quae sequuntur apparet philologum illum recte iudicasse. Inscriptionis formam *Γαληνὸς ἰατρός* corruptam esse cognovit Hermannus Schoene;[4]) neque enim convenit cum narratione, quia nemo ex hoc titulo libellum a Galeno scriptum esse concludere potuit, immo quemvis alium sive adversarium Galeni sive laudatorem scriptorem putari consentaneum erat. Bene igitur Schoene, quia titulum scriptorem libelli indicare necesse est, ita emendavit *Γαληνοῦ ἰατρός*. Hanc emendationem accipere ea de causa quam dixi necesse est, quamquam inscriptionis forma *Γαληνὸς ἰατρὸς* firmari videtur eo, quod philologum miratum esse *τὸ ξένον τῆς ἐπιγραφῆς* Galenus dicit; sed miratum eum esse propterea putabimus, quia Galeni librum ita inscriptum non noverat.

Deinde hunc libellum, de quo Galenus ad nos refert, eundem esse de quo nos disserimus Schoene conicit. Hanc coniecturam optime eo confirmari puto, quod libellum, ut supra docui, Galeni temporibus compositum esse veri simillimum est. Aliud accedit. Eorum codicum, quos vel ipse contuli vel ab aliis ut conferrent impetravi, Vaticanus, Dresdensis, Lipsiensis hanc tituli formam praebent: *Γαληνοῦ ἰατροῦ εἰσαγωγή*. In cod. Vat. verbum *εἰσαγωγὴ* fortasse ad

[1]) *αὐτοῖς* H., *Liter. Centralblatt* 1891 p. 301, *αὐτοῦ* Schneider *Ianus* I (1846) 601, *αὐτὸ* Q edd.

[2]) *μὲν* Kalbfleisch: *μὴ* Q: del. Marquardt.

[3]) *ἀπαγγελίαν* Cobet Mnemos. N. S. 13 p. 347: *ἐπαγγελίαν* Q edd.

[4]) *Schedae philologae Hermanno Usener a sodalibus seminarii regii Bonnensis oblatae* (Bonnae 1891) p. 88.

capitum indicem qui sequitur pertinere Ritzenfeld, qui hunc codicem contulit, mecum communicavit. Deinde capitum index quem hi codices praebent incipit: *ἐπιγράφεται μὲν τὸ βιβλίον ἰατρός*. Eisdem verbis incipit capitum index quem cod. Monacensis in fine libelli praebet. Idem codex inscriptionis formam hanc tradit: *Γαληνοῦ ἰατρὸς ἢ εἰσαγωγή*. Quae cum ita sint, probabiliter conicere mihi videor principalem libelli titulum fuisse *Ἰατρός*. Tum quamquam Hermanno Schoene concedere nolim prooemii verba tantopere dictionem sophistarum alterius p. Chr. n. saeculi sapere, ut inde philologus ille paucis lineis perlectis librum Galeni non esse concludere potuerit, tamen, ut Galenus quoque narrat, propter genus dicendi (*ἀπαγγελία, λέξις*) genuinum eum non esse praedicare potuit. Nam quicumque Galeni genus dicendi cognoverit, prooemii initio perlecto statim intelleget scriptorem libelli hiatum tanta neglegentia admittere quanta Galenum nunquam. In primis septem lineis sex insunt hiatus, si ut par est omiseris 674, 6 *καὶ ἀνθρώποις* et 674, 8 *τινὰ οἱ*: p. 674, 3 *πρῶτοι οἱ* (sed fortasse *πρώτοις* scribendum); 674, 6 *δοκεῖ εὑρετής*; 7 *γεγονέναι αὐτῆς; ἰατρικὴ οὔπω ἦν*; 8 *παλαιοὶ εἶχον*, quorum unum nullo modo Galenus admisisset (*δοκεῖ εὑρετής*), alios, quos quidem interdum tolerabat, positione verborum mutata vel oratione paululum variata evitasset (*εὑρετὴς αὐτῆς γεγονέναι δοκεῖ*; *τέχνην ἰατρικὴν οὐπώποτ' εἶχον οἱ ἄνθρωποι*). His de causis hunc libellum eundem esse, de quo Galenus nobis refert, pro certo dicere ausim. Nam alium eiusdem tituli libellum Galenum dicere, alium eiusdem tituli et eiusdem aetatis nobis adservatum esse vix crediderim.

Altera ergo secundi p. Ch. n. saeculi parte libellum compositum esse apparet; neque prius in lucem prodiit, quia Antipater aequalis Galeni in eo laudatur, neque postea, quia Galenus qui circa annum ducentesimum mortuus est,

in libello quem ultimis vitae annis edidit[1]) eius mentionem facit.

De scriptore libelli

Videamus nunc, quid de scriptore libelli dicere possimus. Inde a Iacobo Sylvio quosdam viros doctos Galeni quodam testimonio (XVII A 999, 12) nisos Herodoto medico eum addixisse supra (p. 17) memoravi. Sed quod iam M. Wellmann monuit temporis angustiis hanc opinionem refutari, eis quae de Herodoti aetate p. 12 dixi et quae de libelli tempore docui optime confirmatur. Praeterea in libello non insunt, quae in illo Herodoti libro fuisse Galenus narrat; inde enim disci posse ait, quae oporteat medicum de eis quae ad aegrotum pertineant dicere vel quaerere, ut sibi paret eius fiduciam. Neque fragmenta Herodoti ab Oribasio nobis tradita eiusdem scriptoris atque hunc libellum esse credet qui comparaverit. Liceat e. g. afferre alterum morborum momentum, quod in libello p. 731, 10 *ἀνάβασις* appellatur, ab Herodoto *ἐπίδοσιν* nominari; cf. Wellmann Herm. 40 (1905) p. 600. Et si Wellmann libros *Περὶ τῶν ὀξέων καὶ χρονίων νοσημάτων*, cuius partes quasdam R. Fuchs in lucem edidit, iure Herodoto attribuit, id quoque monendum est, Herodotum (Mus. Rh. 58 p. 68) lethargum, epilepsiam, cephalaeam in acutorum, libelli scriptorem p. 738, 14 sqq. in chronicorum morborum numero ponere. Quae cum ita sint, non iam licet de Herodoto libelli scriptore cogitare. Itaque quia alia testimonia antiquitatis desiderantur neque ullam libellus ipse nobis praebet ansam, de scriptoris nomine nihil dicere possumus.

Neque quicquam de patria scriptoris nobis licet conicere, nisi quis fortasse miratur Aegyptum et Aegyptios saepius commemorari. Sed quod scriptor p. 675, 4 sqq. an-

---

[1]) Ilberg *Rhein. Mus.* 51 (1896) p. 196.

tiquissimis iam temporibus Aegyptios quandam medicinae scientiam habuisse dicit (cf. p. 676, 15), hoc nullius momenti mihi esse videtur. Ad haec medicinae rudimenta etiam pertinere puto quod scriptor p. 700, 3 memorat Aegyptios medicos quattuor partes principales corporis discernere. Satis conspicuae sane sunt illae partes quas enumerant, caput bracchia thorax crura. Neque igitur ex hoc loco quicquam potest concludi neque ex eis quae p. 790, 9 de medicamento quodam (*τῇ Αἰγυπτίᾳ*) dicuntur. Eiusdem, ut puto, medicamenti mentio fit apud Galenum XIII 643, 2 (*Ἀνδρομάχου Αἰγυπτία ἔναιμος τραυματική*). At quod plus valere fortasse putes, p. 745, 5 scriptor pthisicos in Aegyptum superiorem vel in Libyam sedem aptissime transferre dicit; sed monendum est similia apud Celsum quoque legi (III 22, 8 p. 136, 18 Marx) et Galenum testari pulmonibus aegros saepe Roma in Libyam proficisci (XII 191, 1). Reliquus est unus locus p. 706, 14, quo Aegyptios virginibus nympham excidere consuevisse narratur, sed ex hoc loco quicquam conicere nemo iam audebit.

Neque aliud quicquam, quod scriptoris proprium sit, proferri potest. Tantum moneo saepius eum Homeri versus citare: p. 675, 6: δ 229; p. 696, 5: *H* 99; p. 707, 8: *κ* 161; p. 741, 5: *Z* 201. Praeterea Homeri mentio fit p. 703, 10. Et quae scriptor dicit Herodotum narrare de antiquorum more exponendi aegrotos per compita (p. 675, 16), apud Her. I 197 de Babyloniis scripta legimus. Sed Odysseae versus *κ* 161 etiam apud Pollucem II 179 invenitur et apud Meletium (*Anecd. graeca Oxon.* ed. I. A. Cramer III 92, 3) et in Orionis Etymologico (c. 17, 2 Sturz), et ea, quae Herodotum narrare scriptor dicit, apud Strabonem quoque legimus (III 3, 7; XVI 1, 20) et apud Plutarchum (Mor. 1128 E) et Maximum Tyrium (Diss. XII 2), Servium (ad Aen. XII 395), Isidorum (Orig. X 72). Imprimis monendum est Herodotum non narrare id quod scriptor dicit, illo antiquorum more medicinam inventam esse, sed hoc legi apud Maximum

Tyrium et Plutarchum. Praeterea cum Plutarcho vide quo modo eius verba congruant:

Ps.-Gal. XIV 676, 2 *καὶ οὕτως ἐκ τῆς τῶν πολλῶν πείρας συνερανίζεσθαι* (sic codd.) *τὰ τῆς ἰατρικῆς.*	Plut. Mor. 1128 E *καὶ τέχνην οὕτω φασὶν ἐκ πείρας συνερανιζομένην μεγάλην γενέσθαι.*

Inde conicias scriptorem haec exempla et fortasse etiam reliqua non ex ipsis auctoribus deprompsisse.

Videamus nunc, cuinam medicorum scholae scriptor adiudicandus sit. Pneumaticorum sectae eum adstrictum fuisse M. Wellmann Herm. 38 (1903) p. 546 putat. Certe non dubium est, quin in dogmaticorum numero ponendus sit; hoc vel ex eis perspicuum est, quae de physiologica parte medicinae docet: physiologiam dicit p. 677, 3 sqq. logicis principium medicinae esse, quia ex eis, quae secundum naturam sint, etiam ea, quae contra naturam sint, possint cognoscere et quia in curatione quoque physiologia opus sit; contra reliquas sectas praedicat p. 677, 10 physiologiam neglegere. Deinde p. 690, 17 eisdem argumentis, quibus dogmaticos uti monuit, ipse quoque confirmat physiologia medicum carere non posse et p. 695, 1 a physiologia necesse dicit esse medicum ordiri, quia totius medicinae fundamentum ac principium sit.

Deinde sectatorem Hippocratis scriptorem existimari velle manifestum est: p. 698, 12 sqq. solam Hippocratis physiologiam aptum totius medicinae fundamentum esse dicit; perfectam hanc atque absolutam Hippocratis doctrinam digerendo atque divellendo in deterius mutasse omnes recentiores, Praxagoram et Herophilum, Erasistratum, Asclepiadem a quo Methodici profecti sunt, Athenaeum et Archigenem Pneumaticorum principes. Deinde respicias, quantis laudibus extollat Hippocratem p. 676, 8: *Ἱπποκράτην* (*Ἱπποκράτης* codd. et edd.) *ὃς πάντων ὑπερήνεγκε καὶ πρῶτος εἰς φῶς ἐξήνεγκε τὴν τελείαν παρ' Ἕλλησιν ἰατρικήν*; p. 698, 16: *τὴν θείαν ταύτην* (sc. *Ἱπποκράτους*) *καὶ ἀληθῶς Ἀσκληπιοῦ ἰατρικήν*. Nolim silentio praeterire apud Galenum

quoque similia legi velut XIV 602,3 *τῷ Ἱπποκράτει τῷ πάντων ἡμῖν τῶν καλῶν ἡγεμόνι.* Convenit his laudibus scriptorem tantam scientiam librorum Hippocratis exhibere. Atque his quidem locis Hippocratis scripta ad verbum fere descripsit:

XIV 677,2	Hipp. VI 278,14 Littré
678,10	VI 92,10
687,1—3 [1])	VI 92,11—13
687,4—6	VI 4,16—6,1
695,13—696,4	VI 38,10—18
737,13	IV 482,7
743,14	IV 580,12.

Praeterea quae Hippocratem de fistularum curatione scripsisse p. 790,10 narrat, scripta legimus VI 450, 13 sqq. L. Deinde *ὁ παρ' Ἱπποκράτει καταπεσών καὶ τὴν κεφαλὴν τραυματισθείς* haud scio an Eumelus sit Larisaeus (V 222 L.). Sed quae p. 712,9 ex Hippocrate citantur: *ὁ δὲ ὀφθαλμὸς μήνιγγας ἔχει δύο,* in Hippocratis scriptis non inveni; immo VI 280,2 legimus: *μήνιγγες δὲ τρεῖς εἰσιν αἱ τοὺς ὀφθαλμοὺς φυλάσσουσαι.* Praeter hos locos ad Hippocratem eiusque sententias scriptor respicit p. 683,6; 687,15; 688,10; 695,9; 696,15; 697,5; 698,12; 710,3; 711,13.14; 728,10; 733,9 (cf. Hipp. II 394); 736,3.10; 739,14; 745,7; 746,4.12.18; 753,9; 792,3; 795,9.

His rebus probari puto scriptorem Hippocratis sectatorem velle haberi. Iam videamus, quid censeat de reliquis medicorum sectis. Principia physiologiae non solum methodicae sectae sed etiam recentiorum dogmaticorum (Herophili, Erasistrati, Pneumaticorum) eum refutare supra iam dixi. Tum haec singula moneo: P. 688,11 Herophili definitio medicinae, qua Galenus quoque interdum utitur (cf. I 307,5), affertur neque refutatur. — P. 684,12 falsum esse scriptor censet, quod Erasistratus dicit,

[1]) Hippocratis nomen hoc loco non laudatur.

medicinam scientiam esse. P. 697,8 sqq. ea quae Erasistratus dicit de elementis corporis humani, fusius et diligentius refutantur quam ea quae reliqui dicunt. P. 699,18 Erasistrati sectam de anatomia bene meritam esse scriptor dicit. P. 728,17: secundum Erasistratum *ἡ παρέμπτωσις εἰς τὰς ἀρτηρίας τοῦ αἵματος* sola causa est omnium morborum; hanc sententiam scriptori, quamquam argumentis non refutatur, tamen improbari ex contextu rerum manifestum est. Praeterea sententiarum Erasistrati mentio fit p. 692,11; 709,17; 729,8; 746,13; 751,1. — P. 677,1 Athenaei Pneumatici quoddam artis vocabulum scriptor commemorat; p. 689,6 improbatur Athenaei sententia, qui *τὸ ὑλικὸν* partem medicinae constituit. — P. 684,15 falsum esse dicit, quod Methodici iudicant, medicinam scientiam esse. P. 728,17 Asclepiadem commemorat docere *τὴν ἔκτασιν τῶν ὄγκων ἐν τοῖς ἀραιώμασιν* causam omnium morborum esse. Hanc quoque sententiam item ut Erasistrati scriptorem improbare apertum est. Praeterea p. 734,5 qua ratione Asclepiades cynanchen curet, commemoratur. — Empiricorum placita ante alia reicere atque aspernari scriptor videtur. Certe his locis eum Empiricos irrisu quodam insectari puto: p. 678,16 *(ἐμπειρική) ... οὔτε δὲ πάθος εἰδυῖα οὔτε αἰτίας ἐξετάζουσα* (cf. 679,17); 679,6 ... *θαρροῦντες τούτοις χρῶνται οὐ πολυπραγμονοῦντες τὰς ἐκ τῶν ποιοτήτων δυνάμεις αὐτῶν;* p. 682,17 *ἵστανται δὲ ἐν τοῖς ἐπὶ μέρους καὶ οὐδὲν καθολικὸν ἴσασιν.* Neque silentio praeteream p. 683,14 scriptorem negare id quod Empirici fingunt, Empiricam sectam antiquiorem esse logica secta; immo Empiricam sectam e logica provenisse.

Quae cum ita sint, praecipue Hippocratis doctrinam scriptorem sequi, in singulis rebus recentiorum sententiis eum cedere opinabimur. Sed diligentius scrutandum est, quasnam sententias ipse proferat. Utitur scriptor Hippocratis definitione medicinae refutata definitione recentiorum (c. VI). Praeter hanc solam Herophili definitionem recipere

videtur (vide p. 42). Deinde totam medicinae materiam in quinque dividit partes: *τὸ φυσιολογικόν, τὸ αἰτιολογικὸν* vel *παθολογικόν, τὸ ὑγιεινόν, τὸ σημειωτικόν, τὸ θεραπευτικόν.* Hanc partitionem cum dogmaticorum doctrina prorsus convenire nemo negabit, quamquam nullum afferre possumus testimonium;[1]) sed hoc mirum non esse comprobant ea quae Galenus dicit in libello, qui inscribitur de partibus artis medicativae[2]): *De partibus medicative, Iuste dilectissime, conuenienter mihi videris dubitare, cum alii et alii aliter eas distinguant.* Praeterea de scriptoris partitione haec monenda sunt: *τὸ ὑγιεινὸν* et *τὸ θεραπευτικὸν* primum Erasistratum videri disiunxisse (cf. Gal. V 880,5 sqq.); *τὸ ὑλικόν,* quod Athenaeo auctore Pneumatici partem medicinae constituisse videntur (cf. Ps.-Gal. Def. med. XIX 351,13), a libelli scriptore p. 689,6 sqq. refutari; eum non sequi exemplum Pneumaticorum, qui eam partem, quam ille *αἰτιολογικὸν* vel *παθολογικὸν* nominat, *παθογνωμονικὸν* dicere solebant.[3]) Contra in eis quae de causis in hoc rerum contextu (p. 691,13—p. 692,13) dicit ad Pneumaticorum doctrinam propius accedit. Pneumatici in his rebus Stoicos sequebantur, quos turbam illam causarum collegisse constat; cf. Alex. Aphrod. *Π. εἱμαρμένης* 22 p. 192,18 Bruns: *σμῆνος γὰρ αἰτίων καταλέγουσιν, τὰ μὲν προκαταρκτικά, τὰ δὲ συναίτια, τὰ δὲ ἑκτικά, τὰ δὲ συνεκτικά, τὰ δὲ ἄλλο τι.*[4])

[1]) Invenitur eadem partitio apud solum Theophilum; medicum Byzantinum in schol. in Hippocr. et Galen. ed. F. R. Dietz II p. 246. Testimonia quae sunt de partitione medicinae congessit H. Schoene *Galenus de partibus artis medicativae* Progr. Greifswald. 1911 p. 17 adn. 1.

[2]) Schoene l. l. p. 23,7.

[3]) Wellmann *Die pneum. Schule* p. 67 adn. 1.

[4]) Testimonia atque exempla congessit Arnim *Stoicor. veter. fragm.* II p. 118—122; alia addidit Kalbfleisch *Galeni de causis continentibus libellus* Progr. Marburg. 1904 p. 8 adn.; cf. Zeller *Phil. d. Griech.* III 1 ed. IV p. 135 adn. 2; Wellmann *Die pneum. Schule* p. 155 sq.

Iam videamus de ipsa medicinae doctrina. In eis quae de natura corporis humani sentit Hippocratis potissimum doctrinam scriptor sequitur, vel potius, quia de hac re in scriptis quae Hippocrati addicuntur diversae traduntur rationes doctrinae, eam sequitur quam genuinam Hippocratis esse iam antiqui putabant.[1]) Huius doctrinae uberrimum fontem habemus Hippocratis libellum qui inscribitur *Περὶ φύσιος ἀνθρώπου* (VI 32 sqq. Littré).[2]) Quo libello Hippocratem has res copiosissime atque diligentissime tractavisse etiam medici primi et secundi p. Chr. n. saeculi putabant.[3]) Itaque Galenus quoque et commentarium in hunc librum composuit (XV 1 sqq.) et in eis quae scripsit *Περὶ τῶν καθ' Ἱπποκράτην στοιχείων* (I 413 sqq.) hunc potissimum librum respicit, cf. e. g. Gal. I 415,14 (= Hipp. VI 34,17); Gal. I 439,5—9 (= Hipp. VI 32,9—12); Gal. I 439,9—11 (= Hipp. VI 34,8—10); Gal. I 476,9. Propterea ad hunc libellum scriptoris verba *ἀκολούθως τοῖς φυσικοῖς καθ' Ἱπποκράτην* (p. 695,8) spectare equidem veri simillimum duco, praesertim cum paulo post scriptor nonnulla huius libelli verba afferat (p. 695,12—696,4 = Hipp. VI 38,10—18). Secundum illam Hippocratis doctrinam, ut Galenus testatur in libro qui inscribitur *Περὶ τῶν καθ' Ἱπποκράτην στοιχείων* c. 1 — cf. praecipue I 493,8 sqq. —, tres species sunt elementorum corporis humani: 1. *τὰ πάντων κοινὰ στοιχεῖα,* 2. *οἱ τέσσαρες χυμοί,* 3. *τὰ πρῶτα πρὸς αἴσθησιν μόρια.* Huic partitioni congrua sunt ea quae libelli scriptor de his rebus dicit (c. 9, p. 695):

I. *τὰ πάντων κοινὰ στοιχεῖα.* Hippocratem secutus hominis corpus ex primis mundi elementis, quae sunt ignis aer aqua terra, constare scriptor dicit. Deinde cum addit

[1]) Baumhauer *Commentatio philosophico-literaria in librum qui inter Hippocraticos exstat περὶ φύσιος ἀνθρώπου* Traiecti ad Rhenum 1843 p. 52.

[2]) cf. Baumhauer l. l. p. 45 et 49.

[3]) cf. Diels *Preußische Jahrbücher* 74 (1893) p. 425.

οὐχ ὡς ἐκ τούτων ἀλλὰ ἐκ τῶν ἀναλόγων αὐτοῖς συνεστῶτος τοῦ ἀνθρώπου, hoc dicit non ipsa elementa pura atque sincera apparere in corpore humano. Similiter Athenaeus docuerat non ipsa elementa sed qualitates eorum, calidum frigidum siccum humidum, primas hominis partes esse, id quod ipse libelli scriptor narrat p. 698,4 sqq. Ceterum Hippocratem laudat corpus moriens in calidum frigidum siccum humidum dissolvi docentem (p. 695,12 sqq.). Galenus vero quod notiones calidi frigidi sicci humidi in Athenaei de corporis humani elementis doctrina non satis distincte definitas et obscuritate quadam obvolutas esse monuerat,[1]) huius vituperationis rationem non habet Medici scriptor.

II. *οἱ τέσσαρες χυμοί* (p. 696,6 sqq.; cf. p. 726,2). Deinde quasi alteram elementorum speciem non iam totius mundi communem sed animalium propriam corpus hominis habet *τοὺς τέσσαρας χυμούς*, sanguinem, pituitam, bilem flavam, bilem atram, in quibus posita est generatio animalium; cf. Gal. I 492,2 *ἀποδείξας γὰρ ὁ Ἱπποκράτης ἁπάντων τῶν ὄντων κοινὰ στοιχεῖα τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρὸν καὶ τὸ ξηρὸν καὶ τὸ ὑγρὸν ἐφεξῆς ἐπὶ γένος ἕτερον στοιχείων μέτεισιν οὐκέτι πρῶτον οὐδὲ κοινὸν ἀλλὰ τῶν ἐναίμων ζῴων ἴδιον. αἷμα γὰρ καὶ φλέγμα καὶ χολὴ ξανθή τε καὶ μέλαινα στοιχεῖα τῆς ἁπάντων γενέσεώς ἐστι τῶν ἐναίμων ζῴων, οὐκ ἀνθρώπου μόνον.*

III. *τὰ πρῶτα πρὸς αἴσθησιν μόρια* (p. 696,13). De tertia specie elementorum corporis humani non prorsus eadem dicunt Galenus ac scriptor libelli. Galenus *τὰ ὁμοιομερῆ* quae nominat tertiam secundum Hippocratem elementorum speciem esse dicit I 492,8: *ἀνθρώπου δέ γε ἴδια μόρια τὰ ἐλάχιστά τε καὶ ὁμοιομερῆ προσαγορευόμενα. κοινωνία δέ ἐστι καὶ τούτων αὐτῶν πρὸς ἕνια τῶν ἐναίμων ζῴων οἷον ἵππον καὶ βοῦν καὶ κύνα καὶ τἆλλα ὅσα τοιαῦτα. πάντα γὰρ ταῦτα καὶ ἀρτηρίας ἔχει καὶ φλέβας καὶ νεῦρα καὶ συνδέσμους καὶ ὑμένας καὶ σάρκας.* Haec eadem corporis elementa

[1]) cf. Wellmann *Die pneum. Schule* p. 133 sqq.

libelli scriptor *ξηρὰ* appellat vel Hippocratem secutus *ἰσχοντα*. Praeterea autem in tertia elementorum specie enumerat *τὰ ὑγρὰ* et *τὰ πνεύματα* vel, ut ait Hippocrates, *τὰ ἰσχόμενα* et *τὰ ἐνορμῶντα*. Sed non multum valere hanc differentiam equidem puto, praesertim cum Hippocratis sententiam scriptorem sequi ex ipsius verbis manifestum sit (cf. Hippocr. V 346,6 Littré). Ex his elementis ortu perfecto[1]) corpus hominis constat.

Totam hanc quam scriptor profert doctrinam Hippocratis esse vel Galeni temporibus Hippocrati addictam vel ex eis locis apparet, quos attuli e Galeni libro qui inscribitur *Περὶ τῶν καθ' Ἱπποκράτην στοιχείων*; eidem doctrinae hunc quoque scriptorem assentiri, quamquam eum de his rebus referre tantum fortasse credas, quia scribit p. 695,14 *καθ' Ἱπποκράτην*; 696,9 *φασί*, p. 696,14 *φασί*, manifestum est ex eis quae ipse p. 698,12 sqq. dicit, solam Hippocratis doctrinam absolutam atque perfectam esse, et praeterea eo probatur quod p. 727,10 sanum esse hominem dicit, dum sana sint omnia corporis eius elementa: *τὰ κοσμικὰ στοιχεῖα, οἱ τέσσαρες χυμοί, τὰ στερεὰ σώματα, τὰ πνεύματα.*

Hucusque quae scriptor de natura corporis humani exposuit, Hippocratis doctrinae prorsus congruunt; at in eis, quae de pneumate dicit, pneumaticae sectae doctrinam eum sequi nunc ostendam. De pneumate in Hippocratis scriptis parva tantum doctrinae elementa inveniuntur: corpus vel calidum innatum pneumate vel anima nutriri.[2]) Itaque scriptor libelli *τοὺς παλαιούς*, quos duo pneumatis genera *τὸ ψυχικὸν* et *τὸ φυσικὸν* distinxisse p. 697,6 narrat, non veteres Hippocraticos intellegit, sed Erasistratum dicere videtur, qui *πνεῦμα ζωτικὸν* et *πνεῦμα ψυχικὸν* seiunxit.[3])

[1]) Hoc sibi vult illud *τὸν ἤδη γενόμενον* (sic recte codd.) *ἄνθρωπον* 696,13.

[2]) Puschmann *Handbuch der Geschichte der Medizin* I p. 237; cf. Hippocr. VI 92,21 sqq.

[3]) cf. Pauly-Wiss. VI 341.

His duobus pneumatis generibus Stoicos tertium addidisse *τὸ ἑκτικὸν πνεῦμα* refert p. 697,7; 726,7.[1]) E. Stoicorum doctrina Pneumaticorum secta tria haec pneumatis genera et nomina petivit.[2]) Pneumaticisque scilicet auctoribus eadem genera scriptor libelli discernit. Tria eum pneumatis genera disiungere, quamquam de eo quod *ἑκτικὸν* nominatur referre tantum videtur, cum scribit p. 726,8 *εἰσὶ δὲ οἳ καὶ τρίτον εἰσάγουσι τὸ ἑκτικόν*, manifestum est inde quod p. 728,1 dicit eis qui *καρδιακῇ διαθέσει* affecti sint *τὸ ἑκτικὸν πνεῦμα* solutum esse et quod p. 726,12 tria pneumatis genera in animalibus inesse praedicat.

Ea quoque quae scriptor de horum pneumatis generum definitionibus et sedibus profert, Pneumaticorum doctrinae prorsus congruunt.[3]) *Τὸ ἑκτικὸν πνεῦμα* per totum corpus diffusum continet corpora non solum animantia sed etiam inanima (cf. Ps.-Gal. Def. med. 96 XIX 372,1), quorum exemplum ponit lapides (p. 726,9), quod Stoicis quoque usitatum est, cf. e. g. Sext. Emp. Adv. math. IX 81, Lucian. Hermot. 81, Achill. Tat. Isag. in Arat. cap. 14 (*Comment. in Arat. rell. coll. E. Maass* p. 41, 26), Plut. Mor. 1053 F. *Τὸ φυσικὸν πνεῦμα*, quod in corde est, alit animalia et herbas (cf. Ps.-Gal. Def. med. 95 p. 371). *Ψυχικὸν πνεῦμα* scriptor potentissimam animae partem dicere videtur, quam Stoici *ἡγεμονικὸν* appellare solent; sed haec nomina etiam a Stoicis confunduntur[4]) et apud hunc quoque p. 710,2 *τοῦ ἡγεμονικοῦ* nomen legitur. Sedes enim *τῆς ψυχῆς*, quam latius Stoici dicunt, totum corpus est,[5]) *τὸ ἡγεμονικὸν* plures Stoici et Pneumatici cordi attribuunt, pauci, quorum in numero huius

[1]) cf. L. Stein *Psychologie der Stoa* (*Berl. Stud. f. class. Phil.* III 1. 1886) p. 88 sqq.

[2]) cf. Wellmann *Die pneum. Schule* p. 140.

[3]) cf. Wellmann l. l.

[4]) cf. Stein l. l. p. 125 sq. et adn. 235.

[5]) cf. Chrysipp. apud Gal. V 287, 16. Ps.-Gal. Def. med. 29 XIX 355, 15.

quoque libelli scriptor est (cf. p. 726,12), cerebro.[1]) *Τὸ ψυχικὸν πνεῦμα* efficere dicit, ut sensibus percipiant et ad arbitrium sese movere possint animalia, non solum homines, sed etiam bestiae; idem Stoici sentiunt,[2]) etsi veram et quam proprie dicant animam bestiis inesse negant.[3]) — Praeterea haec cum eis congruunt, quae Stoici et Pneumatici de pneumate sentiunt. Non acquisitum *(ἐπίκτητον)* sed innatum *(ἔμφυτον)* pneuma esse existimat (p. 726,6).[4]) Pneumate eum putare effici, ut sensus percipere possint,[5]) inde apparet quod saepius *τὸ ὁρατικὸν πνεῦμα* commemorat (p. 702,5; 710,17; 752,3).

In eis igitur, quae de physiologia dicit, scriptorem, quamvis Hippocratis doctrinam fundamentum atque initium sibi sumat, tamen aliquatenus Pneumaticorum auctoritati cedere apparet. Neque in eis quae de sanitatis condicionibus et de pathologia explicat, unius disciplinae placitis adstrictus est. Sanum esse hominem dicit, dum neque quattuor corporis elementa neque quattuor humores aut qualitate aut quantitate commutentur (p. 727,10; 728,12). Hac in re Hippocratis doctrinam sequitur, item ut Galenus quoque; cf. XVII A 97,1 *τῆς γὰρ ὑγείας ἐκ συμμετρίας γενομένης τῶν τεττάρων στοιχείων*, al. Deinde autem scriptor ultra Hippocratis doctrinam progreditur, cum dicit morbos inde oriri, quod *τὰ στερεὰ σώματα* sive adstringantur sive dissolvantur. Hac quoque in re cum Galeno consentit. Quae enim dicat *στερεά*, ex hoc loco intellegitur (p. 696,16): *ἴσχοντα μὲν οὖν ἐστιν ὅσα στερεά, ὀστᾶ καὶ νεῦρα καὶ φλέβες καὶ ἀρτηρίαι, ἐξ ὧν οἵ τε μῦες καὶ αἱ σάρκες καὶ πᾶς ὁ τοῦ σώματος ὄγκος πέπλεκται τῶν τε ἐντὸς καὶ τῶν ἐκτὸς τὰ*

[1]) cf. Zeller *Philos. d. Gr.* III 1 ed. IV p. 200 adn. 4; Wellmann *Die pneum. Schule* p. 141.

[2]) cf. Stein l. l. p. 125; Sext. Emp. Adv. math. IX 81.

[3]) cf. Stein l. l. p. 92.

[4]) cf. Wellmann l. l. p. 137.

[5]) cf. Wellmann l. l. p. 142.

συγκρίματα. Easdem corporis partes Galenus *ὁμοιομερῆ* dicit; cf. VI 841,2 *πρώτη μὲν ἡ τῶν ὁμοιομερῶν ὀνομαζομένων* (sc. *σύνθεσις*), *ἀρτηριῶν καὶ φλεβῶν καὶ νεύρων καὶ ὀστῶν καὶ χόνδρων καὶ συνδέσμων, ὑμένων τε καὶ σαρκῶν*. Harum igitur partium sive adstrictionem sive solutionem causam morborum esse et libelli scriptor et Galenus dicunt; cf. Gal. VI 848,5 *δύο οὖν . . . τῶν ὁμοιομερῶν ὑπῆρχε νοσήματα ἐν πόρων ἀμετρίᾳ συνιστάμενα, τὸ μὲν εὐρύτης τις αὐτῶν οὖσα, τὸ δὲ στέγνωσις*. Dubium esse non potest, quin in hac re Methodicorum doctrinae uterque accedat.[1]) Tum pneumatibus sive intensis sive dissolutis hominem aegrotum fieri scriptor dicit (p. 727,16; 728,14). Hac in re Pneumaticorum doctrinam eum sequi manifestum est.

Iam de cura morborum videamus (p. 731,2 sqq.). Dignum est quod commemoretur quattuor morborum momenta in hoc libello discerni: *ἀρχήν, ἀνάβασιν, ἀκμήν, παρακμήν* (731,10). Eadem divisio apud Galenum quoque invenitur, qui alterum momentum *ἐπίδοσιν* nominat (I 195,15).[2]) Uterque igitur in hac re dissentit ab Hippocrate, qui *ἀπεψίας, πέψεως, κρίσεως* momenta digessit,[3]) immo Methodicorum doctrinam sequi videtur, qui hanc divisionem invenerunt (cf. Gal. I 193,3; XIX 681,1). Praeterea in eis quae de *διαρρίπῳ* saepius commemorat (p. 731,13 sqq.), Methodicorum doctrinae accedere videtur.

De singulis morbis non habeo quae proferam, nisi hoc unum: Hippocrates febrium, quae *πυρετοὶ διαλείποντες* dicuntur, sex species discernit, cf. II 672,2 Littré; eius sententiam libellus sequitur p. 730,3; contra recentiores tres tantum species discernunt: vide e. g. Cels. III 3; Gal. VII 336,8; Ps.-Gal. XIX 402; cf. Wellmann *Die pneum. Schule* p. 166. Addo quod M. Wellmann *Hermes* 38 (1903) p. 546 sqq. demon-

[1]) cf. H. Haeser *Lehrbuch d. Geschichte d. Medizin* p. 369.
[2]) cf. Puschmann *Handb. d. Geschichte d. Medizin* I p. 399.
[3]) cf. Puschmann l. l. p. 245.

stravit, eius capitis, quo oculorum morbi tractantur, fontem esse Demosthenis librum *Περὶ ὀφθαλμῶν*, e quo Rufus quoque, Aetius, Paulus Aegineta, Definitiones medicas qui conscripsit aliique[1]) hauserunt.

Itaque, ut paucis quae exposui comprehendam, scriptoris proprium est summo studio Hippocratis doctrinam repetere. Qua re ad Galenum proxime accedit. Cum Galeno in eis quoque saepius consentit, quae ab Hippocratis doctrina digressus cum Methodicorum tum Pneumaticorum sectae concedit.

Ut vero in eis quae de medicinae praeceptis dicit ad Pneumaticos saepius accedit, ita in rebus ad philosophiam pertinentibus Pneumaticorum auctoritate Stoicorum sectae scriptor adductus esse videtur. Quamquam enim de philosophiae placitis non multa dicit, tamen ex eis quae de his rebus in libello leguntur concludi potest eum Stoicorum disciplinam accuratius novisse. De causarum turba et de pneumate supra iam dictum est. Praeterea e Stoicorum doctrina haec deprompta sunt:

ἐπιστήμης definitio p. 684,15; cf. Arnim *Stoic. vet. fragm.* II p. 30 num. 93 sqq.
τέχνης definitio p. 685,3; cf. Arnim l. l. I p. 21 num. 73; II p. 30 num. 94 sqq.
τέλους et *σκοποῦ* distinctio p. 688,6; cf. Stob. II 47,7 Wachsmuth-Hense cum adn. crit.
ὅρου et *ὑπογραφῆς* distinctio p. 686,14; cf. Arnim l. l. II p. 775 num. 227; III p. 247 num. 28.

Dividendi quoque atque partiendi nimium studium Stoicorum et huius scriptoris commune est, velut p. 689,15 sqq. non

[1]) Addendus est quem Wellmann neglexit scriptor papyri Argentoratensis, quae numero 90 insignita est, altero p. Chr. n. saeculo conscriptae; edidit Carolus Kalbfleisch *Papyri Argentoratenses Graecae* Progr. Rostoch. 1901, idem in huius libelli p. 769,11 definitionem xerophthalmiae et psorophthalmiae nomen excidisse docuit l. l. p. 6 adn. crit. ad 2, 3; cf. Wellmann l. l. p. 563.

satis habet in quinque partes totam medicinae doctrinam dividere, sed uniuscuiusque *ὑποδιαίρεσιν* affert, quod artis vocabulum Stoicis videtur usitatum esse; cf. Arnim l. l. III p. 215,6. Simili modo p. 726,15 sqq. *αἱ φυσικαὶ ἐνέργειαι* et *αἱ ψυχικαὶ δυνάμεις* digeruntur atque disponuntur. Denique morositatem quandam et minutam subtilitatem Stoicorum libelli scriptor imitatur. Eandem Pneumaticis quoque cum Stoicis communem fuisse Galenus testatur VIII 642,4: *ἀρέσκονται γὰρ οὗτοι πάντες οἱ Πνευματικοὶ καλούμενοι τοῖς ἀπὸ τῆς Στοᾶς δόγμασιν. ὥστ' ἐπεὶ Χρύσιππος αὐτοὺς εἴθισεν ἀμφισβητεῖν περὶ τῶν κατὰ τὴν φιλοσοφίαν ὀνομάτων, οὐδ' αὐτοὶ περὶ τῶν κατὰ τὴν ἰατρικὴν ταῦτα ποιεῖν ὀκνοῦσιν.* Talium argutiarum e libello haec afferam exempla: ea quae scriptor dicit de definitione medicinae (cap. VI), de vocis *ἀνατομῆς* vi et sententia (p. 709,5), de falsa Athenaei opinione, qui *τὸ ὑλικὸν* propriam medicinae partem esse putat (689,6), de *ἀναληπτικῷ* segregando ab reliquis partibus *τοῦ ὑγιεινοῦ* (p. 693,7).

Restat, ut de uno loco videamus, quem Scepticorum doctrinam sapere fortasse conicias. Leguntur enim p. 684,18 haec: *αὕτη δὲ* (sc. *ἡ ἐπιστήμη* vel *γνῶσις ἀραρυῖα καὶ βεβαία καὶ ἀμετάπτωτος ὑπὸ λόγου*) *οὐδὲ παρὰ τοῖς φιλοσόφοις ἔστί, μάλιστα ἐν τῷ φυσιολογεῖν· πολὺ δὲ δὴ μᾶλλον οὐκ ἂν εἴη ἐν ἰατρικῇ, ἀλλ' οὐδ' ὅλως εἰς ἀνθρώπους ἔρχεται.* Sed huic sententiae ad ipsam Stoicam scientiae definitionem annexae haud ita multum tribuendum est, siquidem etiam ipsos Stoicos recentiores interdum scepticis rationibus aliquantum indulsisse constat; cf. quae de Seneca exponit Zeller *Phil. d. Griech.* III 1 ed. IV p. 737 sqq., qui cum alia tum haec ex Naturalibus quaestionibus (VII 25,2) et Epistulis (65,10) affert: *adeo animo non potest liquere de ceteris rebus, ut adhuc ipse se quaerat* et *pronuntia, quis tibi videatur veri simillimum dicere, non quis verissimum dicat: id enim tam supra nos est quam ipsa veritas.*

Appendix de codicibus

Quaestiones meae ne ex sola Kuehnii vitiosa editione penderent, nonnullos libelli codices vel ipse contuli vel ab aliis ut inspicerent impetravi. Qui codices sunt:

Vaticanus graec. 1845 (saec. XIII, fol. 44^{v}); huius codicis capita *α'*—*ι'* A. Ritzenfeld et E. Fraenkel mihi contulerunt.

Dresdensis graec. Da 1 (saec. XV, fol. 1^{r}), quem ipse contuli.[1])

Monacensis graec. 109 (saec. XVI, fol. 22^{r}); hunc quoque codicem ipse inspexi.[1])

Lipsiensis graec. 52 (saec. XVI, fol. 1^{r}); de hoc codice sodalis meus Fridericus Krauß nonnulla mecum communicavit.

Praeterea de duobus codicibus latinis ex indicibus, quos Kalbfleisch sibi conscripsit, haec possum proferre:

Parisinus lat. 6865 (saec. XIV, fol. 2^{r}); haec sunt ultima verba: *Equiuoce vero et interiora uiscera ypocondia uocantur, quoniam et ipsa sub cartillaginibus sunt notarum costarum .x. intra eas* (= XIV 705,14 K.). Quae sequuntur, recentior manus addidit.

Dresdensis lat. Db 92 (saec. XV, fol. 9^{a}) libelli interpretationem praebet usque ad p. 709,2 K.; ultima enim verba haec sunt (fol. 12^{b}): *nisi quantum in diffinitiua* (corr. *differentia*) *quae secundum magnitudinem vel ordinem positionis* (= XIV 709,4).

Codices graeci quos enumeravi quantum ad textum emendandum conferre possint, Wellmann diiudicabit, qui libelli edendi munus suscepit. Equidem hoc loco dicere satis habeo codicem Dresdensem graecum e codice Vaticano derivatum esse. Argumenta haec sunt[2]):

I. Multis locis eadem menda in utroque codice leguntur velut

675,15 *ἄσκωμεν*, corr. altera manus *ἄσκομα* V: *ἄσκομα* D
676,11 *τῆς* om. VD 677,6 *παρὰ τούτου* V: *περὶ τούτου* D
678,9 *παραλαμβάνουσαι* 679,11 *μεταβαίνοντι* 680,4 *ἐπὶ μέρη*
680,8 *σημειώσεις* 682,1 *παρὰ τοὺς ... τέσσαρες κοινότητες*
682,6 *ροῶδες* 683,3 *τὴν* pro *τῶν* 683,4 *εἰς* pro *ὡς*
683,11 *προέστησαν* 685,9 *καὶ διότατον* (*ἰδιότατον* D) *ἂν τέχνην ...*

---

[1]) Cod. Dresd. et Mon. lectiones hoc opusculo finito congessit Helmreich *Handschriftliche Studien zu Galen.*

[2]) Pertinent ea quae sequuntur ad capita *α'*—*ι'*.

ἐφαρμόζοντι 689,14 *σφαλώμεθα* 689,17 *εἴς τε τῶν περὶ στοιχείων λόγον* (*λόγων* D) 691,13 *προσέχουσιν* 693,4 *τὰ δὲ* pro *τὸ δὲ* 693,12 *ὑγιαίνοι* 694,10 *μὲν* om. VD.

II. Imprimis autem his locis probari equidem puto D e V manasse:

675,8 *ταριχείαις* K: *τροχείαις* V, altera manus superscripsit Γ^{P} *ταριχίαις*: *σιταριχίαις ἢ τραχείαις* D. Mea quidem sententia dubium non est, quin *σι* illud codicis D e Γ^{P} ortum sit 680,2 *μεθοδικὴ δέ ἐστιν* K: *μέθοδ' ἐστὶν* V, altera manus superscripsit *μεθοδικὴ δέ ἐστιν*: *μέθοδός ἐστιν* D, in mg. *γρ. μεθοδικὴ δέ ἐστιν* 694,12 *μόριον* K: *μόνον* V, altera manus superscripsit *μόριον*: *μόνον μόριον* D.

K	V	D
681,2 *διττὸν δὲ τὸ ἀλλότριον, ἤτοι γὰρ ἔξωθέν ἐστιν ἢ τῶν ἐν τῷ σώματι. τὸ μὲν ἔξωθεν ἁπλοῦν, τρία δὲ εἴδη τῶν ἐν σώματι. ἀλλὰ τὸ μὲν ἔξωθεν ὡς σκόλοψ καὶ βέλος καὶ πᾶν ὅπερ ἀλλότριον*	*διττὸν γὰρ τὸ ἀλλότριον ἤτοι ἔξωθέν ἐστιν ἢ τῶν ἐν τῷ σώματι. ἀλλὰ τὸ μὲν ἔξωθεν ἁπλοῦν*[1] *τρία δὲ εἴδη τῶν ἐν τῷ σώματι. ἀλλὰ τὸ μὲν ἔξωθεν ἁπλοῦν*[2] *ὡς σκώλωψ καὶ βέλος καὶ πᾶν ὅπερ ἀλλότριον*[3]	*διττὸν γὰρ τὸ ἀλλότριον ἤτοι ἔξωθέν ἐστιν ἢ τῶν ἐν τῷ σώματι. ἀλλὰ τὸ μὲν ἔξωθεν ἁπλοῦν ὡς σκώλωψ καὶ βέλος καὶ πᾶν ὅπερ*

Neque vero desunt loci, quibus V et D discrepant. Affero graviora:

I. His locis, quibus V et K consentiunt, D aliam lectionem exhibet:

676,5 *ἑαυτοῖς* 678,16 *τετηρημένα* 685,3 *ἐγκαταλείψεων* 685,8 *συναδούσης* 688,2 *συνιστῶντα* 689,2 *εἰσίν* 690,16 *ἀναγκαῖον* 691,2 *αἰτιολογίας* pro *αἰτίας* 692,4 *ἀποχήν* 692,15 *δὲ μὴ* pro *μηδὲ* 693,3 *ἐπιγίνεται* 693,13 *δύνανται* 694,7 *τοῦ δὲ θεραπευτικοῦ*.

II. V discrepat ab D eandem lectionem ac K exhibente:

675,9 *εὑρήσασθαι* 676,8 *τοὺς ἔπειτα* 678,13 *τὴν θεραπείαν* 686,5 *πᾶσῃ* 686,9 *ἀγαλματοποιητικοί* 686,11 *τὸ* pro *τῷ* 686,13 *συντελέσει* 687,17 *αὐτῷ συντηρεῖ* 688,5 *τυγχάνῃ* 688,9 *περιγίνονται* 689,13 *θεραπευτά* (recte) 690,16 *μέρει* 691,15 *προκατάρχῃ*.

[1]) *ἀλλὰ — ἁπλοῦν* punct. del. man. sec.
[2]) *ἁπλοῦν* del. man. sec. superscr. *γρ. ἀλλότριον*.
[3]) *ἀλλότριον* add. man. sec.

III. Addo hos locos:

676,4 *λογικήν* K: *τεχνικήν* V, eadem manus ut videtur superscripsit *γρ. λογικήν*: *λογικὴν τεχνικήν* D, in mg. *γρ. τέχνη* 680,3 *προσέχουσα* VK: *παρέχουσα* D, supra versum *γρ. προσέ*.

Sed omnibus his discrepantiis non irrita fieri puto ea argumenta, quibus supra demonstravi codicem Dresdensem e Vaticano manasse, sive Dresdensis apographum est Vaticani, sive, quod propter discrepantias verisimilius puto, apographum Vaticani exemplar fuit Dresdensis. Argumentis illis unum hoc loco addam: V et D textui libelli indicem capitum praemittunt. In hoc indice V perversum duorum capitum ordinem in hunc modum corrigit: $\overset{\beta}{\tau\acute{\iota}}$ *ἐστιν* $\overset{\alpha}{\iota}$*ατρική*. *εἰ ἐπιστήμη ἢ* $\overset{\gamma}{\iota}$*ατρικὴ ἢ τέχνη. πόσα μέρη ἰατρικῆς*. D neglectis litteris *α β γ* falsum retinet ordinem, Mon. et Lips. rectum praebent.

Robert Noske, Borna-Leipzig, Großbetrieb für Dissertationsdruck.

Vita

Natus sum Aemilius Issel natione Borussus fidei addictus evangelicae die IX mensis Maii 1890 Elberfeldii patre Aemilio matre Ioanna e gente Weiste. Literarum elementis in scholis publicis Coloniae et Duesseldorfii imbutus ab anno 1901 scholae quam vocant *Rektoratschule* in oppidulo Guestphaliae cui nomen est Lengerich discipulus fui. Ab anno 1902 Muelheimii in oppido quod ad Ruhram flumen situm est gymnasium frequentavi. Ubi magistros egregios nactus sum viros, quorum in numero Eduardum Krack optime de me meritum esse nunquam obliviscar. Vere anni 1909 maturitatis testimonium adeptus per decem semestria studiis philologis et historicis me dedidi idque semper Marpurgi, nisi quod aestate anni 1911 almae matris Monacensis civis fui.

Docuerunt me viri doctissimi Monacenses Bitterauf, Crusius, v. Heigel, v. Poehlmann, Vollmer; Marpurgenses Birt, Brackmann, Busch, Geldner, Hartmann, Jacobsohn, Jacobsthal, Kalbfleisch, Klebs, Maass, Misch, Natorp, v. d. Ropp, Schwarz, v. Sybel, Thiele. Proseminario philologo Marpurgensi per duo semestria interfui. Seminarii philologi ut sodalis essem ordinarius, per ter senos menses Birt Kalbfleisch Maass mihi concesserunt. Praeterea ad exercitationes historicas me admiserunt Brackmann, Busch, Klebs, ad philosophicas Natorp. Quibus viris doctis gratias ago debitas. Quantum vero debeam Carolo Kalbfleisch, qui semper summa benevolentia studiis meis favit et ad hanc materiam tractandam me invitavit, nunquam desinam reminisci.

Examen rigorosum superavi die XVII mensis Ianuarii anni 1914. Deinde partim Marpurgi partim domi in litterarum studiis versatus sum. Die VIII mensis Augusti anni 1914 examen pro facultate docendi sustinui. Bello coorto cum propter myopiam inter tirones voluntarios non essem admissus, ut pietatem erga patriam praestarem, in Belgica saucios et aegros curavi. Mense Martio anni 1915 ad scholam Germanicam quae est Bruxellis delegatus usque ad mensem Maium anni 1916 magistri vice functus sum. Tum demum inter tirones conscriptus cohorti cuidam adiunctus sum, quae tormenta nostra maximi modi administrat.

7975748

COLUMBIA UNIVERSITY
0032138750